



Dv 607







Antonius Schneeberger s.  
Schneeberger.

Catalogus medicamentarum, s.  
adversus omnis generis arti-  
culorum dolores enumeratio.

Frankfurti 1587.

(Kauf Haller (Bibl. med. II. 139)  
ist dies der Titel von meistern  
der Druck.)

J. K. PROKSCH

PIETATE, VIR-  
TVTE, ERVDITIONE,

AC AVTORITATE AMPLIS-  
simo viro D. D. Petro Posnauitæ, ecclesi-  
arum cathedralium Cracouiensis & Vil-  
nenfis Canonico, & S. Floriani Clepardæ  
præposito, domino & fautori sibi obser-  
uandissimo, Antonius Sneebergerus  
Tigurinus, medicus physicus,  
S. P. P.

N. De  
posnauitæ  
præpositi  
in  
S. Floriani  
longi de  
throno de ge  
Sneebergerus



Vt pacem tutam tranquil-  
lamq; nobis rei militaris  
scientia, sic sanitatem in-  
corruptam Medicina con-  
seruat atq; tuetur. Illa pa-  
triam, possessiones, domi-  
cilia, res, fortunas, vitam

deniq; ipsam aduersus hostiles irruptiones, depo-  
pulationes, vastationes, & cædes fortiter defen-  
dit: Hæc aduenientes morbos à corporibus no-  
stris auertit, & præsentés quamuis vehementis-  
simos periculosissimosq; imò etiã diuturnos, &  
mortiferos remouet ac depellit. Hercules sanè  
ob fortitudinem clarissimus semper fuit, & quòd  
immanissima monstra domuisset, atq; crudelissi-

A 2

EPISTOLA

mostyrannos sustulisset, Deus creditus est: Sed  
 AEsculapius & ipse quod sanasset Hippolytum,  
 diuinis honoribus dignus habitus est: Et Hippo-  
 crates eorundem stirpe prognatus, quod ex titu-  
 lis & inscriptionibus sacris, quae in templis AEs-  
 culapio dicatis habebatur, nec non sua propria in-  
 spectione, & obseruatione diuturna historiam me-  
 dicam contexuisset, & iisdem notandis arte effeci-  
 set, librisque conscriptis ad posteros transmisisset,  
 ac tandem etiam grauissimam pestilentiam uniuersae  
 Graeciae iam iamque imminentem, sed quam ille ante  
 prauidisset, a tota regione felicissimè per discipu-  
 los & huc & illuc missos auertisset, iisdem diuinis  
 honoribus sacrisque cum Hercule & AEsculapio pu-  
 blicè ab Atheniensium senatu, totiusque Graeciae popu-  
 lis honoratus, & corona aurea mille aureorum do-  
 natus, & ut ipse, & posterius eius in Prytaneo ale-  
 rentur, munificentissimo decreto honestatus est.  
 Hippocrates quidem non solum, ut Hercules, de  
 hominibus qui suo tempore uiebant, optimè  
 meritus est, sed multo magis de posteris, cum ho-  
 die etiam indies medici artem ab eo edocti, eam  
 nouis obseruationibus & inuentis, non secus ac  
 imperatores ducesque exercituum miris ac nouis  
 bellicis tormentis & armis excogitandis scien-  
 tiam militarem, augeant & amplificent, ac gra-  
 uissimos & diuturnos, saepiusque desperatos, nec  
 non



## DEDICATORIA.

non nouos & antè non uisos morbos feliciter depellant curentq̃. Mirari sanè licet qua sint animaduersa à veteribus, nec non recentioribus medicis terræ ipsius, lapidum, metallorum: quæ herbarum, fruticum, arborum: quæ bestiarum aerearum, aquatiliùm, terrenarum, & ancipitum (ἀμφίπλευροι Græci nominant, quod in utraq̃, sede, id est in terra & in aqua, uiuant) generas: utq̃ nihil intētatum inexpertumq̃, reliquerint: nihil deinde occultatum, quod non posteris suaq̃, ætatis hominibus prodesse uoluerint: Nec uerò tantùm in hortis pratibus, ac amœnis collibus quæ satù aspectuq̃, oculis nostris blandiuntur, aut necessario in cibo usu inuitant, inquisiuerint: sed culmina quoq̃, excelssimorum montium inuia, & solitudines abditas, syluasq̃, densas & asperas, omnes deniq̃, terræ fibras, reconditissimasq̃, eius cauernas, ut ex uisceribus, intimisq̃, eius tenebris, ipsaq̃, sede manium, plurimarum rerum latentem utilitatem eruere, scrutari sint. Nimirum iudicarunt sacram illam rerum omnium parentem Naturam, nusquam non remedia homini disposuisse. Iam cùm ego hosce Hippocratis, & eorum qui eum sequenti sunt medicorum, uerè Herculeos labores, imitandos suscepissem, thesaurum innumerabilibus, ijsq̃, facile parabilibus

EPISTOLA

remedijs aduersus omnis generis morbos refer-  
 tum, ex Græcorum, Latinorum, & Arabum li-  
 bris colligere, nec vllum sine locuplete autoritate  
 ac teste præscribere institui. Laborem quidem  
 maximum, ac medicinae studiosis agrisq; utilif-  
 simum, mihi ipsi non aequè necessarium incur-  
 dumq; aggressus sum: id quod manifestè apparet  
 ex remediorum aduersus articularum dolores  
 catalogo, quem in præsentia clarissime ac hono-  
 ratissime vir Amplitudini tue offero, & dedico:  
 Primum quia nulli honestius aut melius labor  
 medicus, etiam posteris profuturus, committi &  
 dedicari posse videbatur, quàm tibi medico au-  
 toritate grauissimo, & Regum Principumq; illu-  
 stri gratia clarissimo, demumq; liberalitate &  
 benignitate in pauperes, præcipuè literatos &  
 sacerdotes magnificentissimo: Deinde etiam, vt  
 animi mei tui obseruantissimi testimonium qua-  
 lecunq; publicè haberes: Postremò, quo etiam apud  
 exterarum nationes & gentes eximiam libera-  
 litatem, maximaq; tua beneficia in egenos com-  
 memorare, benignitatiq; tuae debitas laudes ho-  
 noresq; prædicare liceret. Tu enim liberalissimè  
 in medicum qui agris egentibus medeatur, & in  
 medicinas quibus fortè opus habituri sint, ali-  
 quot aureorum millia ex proprijs pecunijs eroga-  
 sti, atq;

DEDICATORIA.

*sti, atq; ut hac liberalitas tua stabilis & perpetua  
 sit, prouidisti, cum amplissimas aedes emisti, easq;  
 excellenti D. Martino Foxio medicinae in cla-  
 rissima eruditissimae Cracouensi Academia  
 Professori doctissimo, affiniq; mihi charissimo  
 habitandas commisisti, & in posterum medicis  
 qui ex maiorum Academiae uoluntate ipsi suc-  
 cedent, utendas fundasti: alias uero pecunias  
 certis hominibus qui in singulos annos tolerabi-  
 lem censum pro medicamentis emendis soluant,  
 dedisti. Ut autem eò reuertar, unde digressus  
 sum, tibi uir amplissime & humanissime, hanc  
 simplicium medicamentorum aduersus articulo-  
 rum dolores sylvam, summa cura diligentiaq; ex  
 plurimis scriptoribus ad communem usum à me  
 collectam, atq; uita humanae, cum in omnibus  
 morbis plura eaq; parata habere remedia uile,  
 in arthriticis uero necessarium sit, cum aliud alij  
 profit, aliud alibi facilius inueniatur, & saepe, ut  
 Paulus AEG. ait, idem auxilium (interpretis uer-  
 bis utor) huic quidem articulo profit, alteri uero  
 in eodem egroto similiter inflammato, non so-  
 lum non profit eadem etiam hora, sed quandoq;  
 etiam insuper ledat, & quod sanè mirum est, u-  
 nus & idem articulus saepe ab eodem auxilio  
 nunc quidem utilitatem perceperit, paulo post*

lib. 3.  
cap. 78.

EPIST. DEDICATORIA.

autem etiam insuper inflammatus sit, utilissi-  
mam futuram dico & consecro: tu rogo hanc  
thesauri mei partem libenti animo, & ea frontis  
hilaritate accipe, qua meipsum soles suscipere.  
Quod in tuo nomine hac euporiston pars appa-  
ret, non dubito omnibus qui ubiq; sunt veri me-  
dicinae studiosi, gratiorem fore. Vale quam opti-  
mè, diutissimeq; gloria quam tibi veris virtuti-  
bus acquisuisti, fructuere, tandem immortalẽ  
sempiternamq; gloriam in cœlis, non inter he-  
rões, deosq; gentium commentitios, Herculem,  
Æsculapium; sed inter cohæredes Christi veri  
αληθινός Dei, uniciq; animarum nostrarum σω-  
τήρος consecuturus. Hisce me filiolumq; meum  
Antonium favori & benevolentiae ampliundi-  
nis tuae quam diligentissimè commendo. Data  
Cracouia ex adibus meis, Anno 1579.  
die 8. mensis Augusti.



Placet locum quem ex Paulo adduxi,  
Gracè ascribere.

Κατάπαξ ἐφ' ὧν ἀδελφός ἡ αἰτία, πείθεσθαι δεῖ τὴν μετὰ-  
βασιν, ποτὲ μὲν ὀπί τὰ ὀμοσθέν, ποτὲ δὲ καὶ ὀπί τὰ ἐναντία,  
μὴ πῖς αὐτοῖς ἐλθρονίζοντα, μὴ καθυμνοῦμενοις γραῦ. Ἐὰν πα-  
ρῶσι μέτρα βλεπομένη ὡς ἔργος τῆς τέχνης γινόμενα, καὶ τὸ  
αὐτὸ βοήθημα, πῦτο μὲν τὸ ἀρῶρον ὠφέλιον, ἕτερον δὲ ὀπί τὸ  
αὐτὸ κείνο ὁμοίως φλεγμῶνον ἢ μόνον οὐκ ὠφέλιον καὶ  
αὐτὴν ἢ ἄσεν, ἀλλ' ἔσθ' ὅτε καὶ προσέβλαψεν. καὶ τὸ δὴ θαυ-  
μασόν. τὸ γὰρ ἐν καὶ τῶν πολλοῦ ἀρῶρον ἕσθ' ὅτι αὐτὸ βοήθη-  
μα ὡς καὶ μὲν ὠφελήθη, μετ' ὀλίγον δὲ καὶ προσεφλέγηκε.  
Μήποτε οὖν, ἐπίδαν μὲν τὸ γλίχρον καὶ παχὺ ἢ ὕλης ὀπίκρα-  
τεί, πῖς θερμότεροις ὀνίναται, τῆς δὲ δριμείας καὶ ζέσης τὸ χυ-  
μὸν κρᾶνύσης ποιότητος, πῖς ἐμψύχουσι καθυμνοῦνται, καὶ  
ἢ δὲν θαυμασόν, καὶ τὴν φύσιν ψυχροτέραν ἔσθαι ὕλην ἐν  
τῷ κερῶ ἢ φλεγμονῆς ἐκπυροῦσθαι τε καὶ  
ζέειν ἵνα τὴν ὀπίμιξίαν εἰ τύχοι,  
τῆς χολῆς ἐάσω.



DOCTO ET A-  
MICO LECTORI  
AVTOR S. D. P.

**N**ON dubito humanissime lector iniquos aliquos Zoilos hoc meū in medicamentis euphoristis aduersus articulorū dolores colligendis studium, cum Luciano qui dijs & hominibus non pepercit, tanquam vanum & inutile irrisuros, ac ingeniosissimi poeta carmen obiecturos,

Soluere nodosam nescit medicina podagram.  
Hisce breuissimè respōdeo alio eiusdem poeta carmine,  
Non est in medico semper, teleuetur ut aeger:  
Interdum docta plus valet arte malum.

Cum namq; ars medicina, Hippocrate omnium nobis bonorum autore, eiusq; acutissimi & fidissimi interpretis Galeni testimonio, constet ex his tribus, morbo, aegro, & medico artis ministro: conuenit equidem & decet aegrum cum medico aduersari morbo: nam si aeger ipse medicum in duello quod ipsi cum morbo est, consilij & iussis eius non obediendo deseruerit, ac prodiderit, facile morbus, ob aegrotantis intemperantiam & inobedientiam crescens, hostem suum, id est medicum artis ministrum, artemq; ipsam vincet, cum ne Hercules quidem aduersus duos, ut in prouerbio est, pugnare sustinuerit: & ut Graecus poeta ait,

Ανείας δ' ἔμεινε θεός περ' ἐὼν πολέμῳ ἦς,  
Ὡς εἶδεν δύο φῶτι παρ' ἀλλήλοισι μένοντε. id est,

Haud

AD LECTOREM.

Haud stetit Æneas alioqui strenuus armis,  
 Confpexit simul atque duos cōsistere iunctos.  
 Notissimum est omnibus, Hippocratis tempore mu-  
 heres & eunuchos rarissimè aut nunquam caluitio &  
 podagra laborasse: At Galenus & Seneca suo tēpore  
 plurimas foeminas podagricas & caluas fuisse testan-  
 tur, non mutata foeminarum natura, sed vita. Mor-  
 bi enim luxuria & intemperantia satellites sunt, ac  
 merito valetudinarios medicorum de voluptatum in-  
 termissione, & ciborum, & potionum varietate vitan-  
 da praecepta negligentes, morbi in perpetuum oppri-  
 munt. Vidimus, nec dubitamus alios etiā vidisse, plu-  
 res qui ab articulorum doloribus semel liberati, reli-  
 quam vitam omnem ab huiusmodi doloribus liberam  
 transegerunt. Inter hos fuit, ut vnum ex multis no-  
 minem, genere & virtute insignis & illustris heros D.  
 D. Nicolaus Stadnitiuus comes Smigrodienfis, vir in  
 omni vita sua temperantissimus atq; moderatissimus,  
 exemplar antiqua & verè Christiana nobilitatis, vita  
 certè, si Deo nõ aliter visum esset, ob eximias illustresq;  
 virtutes longiore dignissimus. Atq; quòd pluribus ver-  
 bis tanti viri mentione fecerim, amicissime lector do-  
 lori meo, quem ex nunquam satis laudandi herois,  
 summiq; fautoris mei morte maximum cepi, condon-  
 nes velim. Sed, ut ad propositum redeam, ne quis exi-  
 stimet me solum affirmare arthriticos dolores dum  
 absunt, praecaveri, atq; presentes curari posse, is doctis-  
 simi medici summiq; philosophi Erasmi disputationem  
 de podagra aduersus Paracelsum scriptam legat: Di-  
 uinumq; magni nostri parentis Hippocratis oraculum  
 audiat. Πικρὸν δὲ ποδαγρῶν τῶν τὰ δὲ λέγει. ὅσ οὐ μὲν ἢ γέρον-

Lib. predict.  
 2. argum. 15.  
 Ioannis Cul-  
 mani. pag.

## AD LECTOREM.

Græc. Basf.  
417. Ald.  
pag. 179.

τες, ἢ πλείπῃσιν ἀρθροῖσιν ἐπιπρωμάματα ἔχουσιν, ἢ βρόπον πα-  
λαιωτον ζῶσι κοιλίας ἐπείρας ἔχοντες, οὗτοι μὲν πάντες ἀδωά-  
τοι ὑγιῆς γίνεσθαι ἀδύνατοι τῆ χυμῇ, ὅσον ἐγὼ οἶδα. ἰώνται μὲν  
τέτοις, ἀεὶ μὲν δυσεντερίαι, ἢ δὴ πῆνυονται, ἀπὸρ καὶ ἀλλαι  
διεπύριες ἀφελέουσι κάρτα, αἱ ἐς τὰ κατώ χυμῶι πέπουσαι.  
ὅστις δὲ νέος ὄσῃ, καὶ ἀμφοῖ πῖσιν ἀρθροῖσιν οὐ πω δὴ πρωμάμα-  
τα ἔχει, καὶ τὸ βρόπον ὄσῃ δὴ πρῶτος τε καὶ φιλόπονος, καὶ κοιλίας  
ἀγρῶς ἔχων, ὑπακούει πᾶσι τὰ δὴ πρῶτος, οὗτοι δὴ ἰσχυροῦ  
γνώμῃ ἔχοντες δὴ πρῶτος, ὑγιῆς ἀν γίνονται. Hæc Cornari-  
us conuerit ad hunc modum: De podagricis hæc dico.  
*Quicumque aut senes sunt, aut circa articulos callos  
rosaceos concretos habent, aut arumnosè viuunt, ac  
siccam aluum habent: hi omnes sani fieri non possunt  
humana arte, quantum ego noui. Sanant quidem hos  
optimè, dysenterie si successerint. Sed et alie eliquatio-  
nes valde profunt, que ad infernos locos repunt. Qui  
verò iuuenis est, et circa articulos nondum rosaceos  
callos concretos habet, & accuratè viuunt, & laboris a-  
mans est, & aluum bonam habet ad obediendum pro  
studiorum ratione, hic sanè medicum intelligentiam  
habentem nactus, sanus fieri poterit. Audiuisti studio-  
sissime lector diuini nostri senis oraculum, tu noli in  
posterum articulorum dolorem insanabilem morbū  
putare: atque hosce meos labores grato animo  
suscipe, usque gratus fruere. Vale quam  
felicissime, nostrisque stu-  
diis fane.*

AVTO-



AVTORVM  
QVI IN HOC CATA-  
LOGO CITANTVR,  
enumeratio.

- A** Ctuarius.  
Ælianus.  
Aëtius.  
Alexander Trallianus.  
Alexius Pedemōtanus.  
Amatus Lusitanus.  
Andernacus.  
Andreas Baccius.  
Antonius Fumanellus.  
Ant. Guainerius.  
Ant. Mizaldus.  
Ant. Musa Augusti Imp.  
medicus.  
Apuleius.  
Aristoteles.  
Arnoldus de villa noua.  
Athenæus.  
Auicenna.  
Aulus Gellius.  
Autor euporistōn.  
Autor incertus libelli  
de podagra.  
**C**Ælius Aurelianus.  
Cardanus.

- Cato de re rustica.  
Cicero.  
Constantinus de agri-  
cultura.  
Cornelius Celsus.  
Cronenburgius.  
**D**ioscorides.  
Donatus ab Alto-  
mari.  
Duslanus Ducretus.  
**E**Vripides.  
**F**Rācisus Alex. Ver-  
cellensis.  
Fuchsius.  
**G**Alenus.  
Gallici scriptores  
de agricultura.  
Geber.  
Georgius Agricola.  
Georg. Pictorius.  
Gesnerus.  
Gratarolus.  
Groppius.

Hector

AVTORVM CATAL.

- H**ector Boethius. tores herbarij Ant-  
 Helideus Bononi- uerpiensis.  
 ensis. Petrus de Bayro.  
**D.** Hieronymus. Philippus Melanchthō.  
**H**ippocrates. Plinius.  
 Hollerius. Plutarchus.  
 Horatius. Polydorus Vergilius.  
**I**oannes Manlius. Porphyrius.  
 Io. Montanus. **Q.** Serenus Sammo-  
 Io. Brüyer de re cibaria. nicus.  
 Iulius Cæsar Scaliger. **R** Afis.  
 Iulius Martianus Rota. Reiner<sup>o</sup> Solenäder.  
**K** Iranides. Rogerius autor rosæ an-  
 gelicæ.  
**L** Euinus Lemnius. Rondeletius.  
 Lucianus. **S**cribonius Largus.  
**M** Anardus. Sextus Platonicus.  
 Marbodæi dacty- Simeon Sethi.  
 lotheca. Simon de Louitz Polo-  
 Marcellus Empiricus. nus.  
 M. Varro. Suetonius de illustr.  
 Matthiolus. grammaticis.  
 Mercurialis. Syluius.  
 Mefues. **T**homas Erastus.  
**N**icolaus Myrepsus. Tragus.  
**O**laus Magnus. Turneiferus.  
 Oribasius. **V**alleriola.  
**P**aulus Ægineta. Vefalius.  
 Pena & Lobelius au Volcherus Coyter.  
 VVeckerus.

MEDI-

I

# MEDICAMEN- TORVM EYPORISTON,

ID EST FACILE PARABILIM,  
*um, aduersus omnis generis articularum dolores,  
enumeratio ab Antonio Sneebergero, Ti-  
gurino, medico conscripta.*



Biegna lachryma pota, ar-  
thriticos dolores mulcet,  
coxendicumque cruciatus  
lenit: Matth. in Diosc.

Abstinencia. Legimus  
quosdam morbo articulati,  
& podagræ humoribus la-  
borantes, proscriptioe bo-

norum ad simplicem mensam, & pauperes cibos  
reductos, conualuisse. Caruerant enim sollicitudi-  
ne dispensandæ domus, & epularum largitate,  
quæ & corpus frangunt, & animam: D. Hierony-  
mus ad Iouin. Ex senatu Romano Plotinum phi-  
losophum Platonicum sedulò audiebat Roga-  
tianus. Qui vsque aded ab hac vita animum le-  
gregauit, vt & bonorum suorum curam neglexe-  
rit, & seruos omnes expulerit, respueritque digni-  
tates. Iam vero Prætor proditurus licetoribus iam  
adstantibus, neque prodit, neque vllam habuit pu-  
blici muneris rationem, neque lares proprios ha-  
bitabat, sed quosdam amicorum familiariumque

conueniens, apud eos cœnabat & dormiebat, cibumque in dies vnicum assumebat. Quæ quidem negligentia vitæ extremaque incuria factum est, vt quum acriter podagris antea vexaretur, neque progredi posset nisi vectus sella, robur tandem inde resumpserit. Item quum manus antè extendere non valeret, tamen ad eò conualuerit, vt his expeditius vteretur, quàm qui artificia manib. quotidie tractant. Hunc ergo Plotinus in primis complectebatur, mirisque laudibus extollebat, proponebatque tanquã insigne philosophaturis exemplum: Hæc Porphyrius in vita Plotini. Singularissimum hæc ætate præsidium, neminem fallens, nunc primùm sese euexit, nunc exorta, atque excogitata, podagricos sanandi ratio, etiã cum ipsius articulorum callosis contractionibus, cœlitus, altrisue de mentibus elapsa. Quandoquidem, ne vos in re manifesta longius immorer, magnificus Frãnciscus Pechius, nuper ex catarrho, à nobis sanitati restitutus: huius medelæ exemplum, huius salutis, diuini que auxiliij è cœlo delapsi certitudinem præstabit. Hic enim vbi mulam conscendisset, illustriissimi ducis nostri commissæ expediens, quin-quagenarius, podagricus, diurnis huiusce morbi cruciatib. oppressus, clam à marchione quodã in ergastulum coniectus, vxore, vnico libero, omnibusque alijs vita defunctum arbitrantibus: anno iam transacto vigesimo, hoc à Deiparæ partu anno 1556. à Gallis in eam arcem irruentibus, incolumis adhuc inuentus est, miroque Verceilensium spectaculo, tanquã Lazarus è monumento, diui-

to, diuino equidem munere seruatus, nulla articulari læsione, ense accinctus, nullo innixus baculo, per urbem incedit: omnemque ex tenui victu, à carceris custodibus indicto, podagra noxam effugit: vxore, filioque mortuis, ædes, prædia, omnemque diuenditum, opimū certè patrimonium, iure ipso reuocare incepit. In cibo igitur medicamentum. Hæc omnia Franciscus Alexander Vercellensis in Apollinis radio primo, in descriptione elect. diacorallij.

Abrotoni vtriusque semen crudum, tritum & feruefactum, ex aqua in potu auxiliatur coxædicibus: Diosc. Abrotoni folia duris tumoribus post inflammationes arthritidos relictis imponit Aërius lib. 12. cap. 40.

Abinthij succus quantitate fabæ cum vncijs tribus hydromelitis per quadraginta dies continuè manè potus ab arthritide præseruat: quoniam digestionem confortat, & vrinam prouocat, ac neruosa membra omnia, vt Rasis inquit, corroborat: Ant. Guainerius.

Acanthi melamphylli radices podagris illinuntur tritæ & calefactæ calidis: Plinius.

Acetum podagricis calido fotu, cū sulphure auxiliatur: Diosc. Acetum inflammationes articulorum à bilioso humore factas extinguit: At si super arthriticorum frigido, vt non parum sape gypseam naturam meditatur, humore ponatur, cōpinget adhuc materiam magis, & porum faciet *en te nos*. Neruos præterea lædet: articulos è sedibus suis conuellet: Iul. Cæs. Scal. exercit. 132.

de subt. ad Card. Non est autem prætereundum in aceto exemplum ingens. Siquidem M. Agrippa, autore Plinio, supremis suis annis conflietatus graui morbo pedum, cum dolorem eum perpeti nequiret, vnus medicorum portentosa scientia, (ignorante Diuo Augusto, tanti putauit vsu pedum sensuque omni carere, dummodò & illo dolore careret) demersis in acetum calidum cruribus in acerrimo impetu morbi euasit. Ego quidè aceto solo nec extra nec intra corpus vtendū confulo. Pro cibis verò corrigatur (purum enim acetum arthreticis morbis obnoxios lædit) vis passis, saccharo: vel in eo semina anisi, petrolelini vulgaris, fœniculi: rosmarinus, serpillum, maiorana, saluia herbæ bulliant. Pro fotu aliqua medicamenta quorū catalogum modò enumeramus, in aceto coquantur.

Adarces humorem euocat qui in alto concreuit, & ischiadicis prodest: Diosc. Adarce est acerrima & calfactoria, vt propemodum vrat, si cum alijs foris apponatur. Nam vt intra corpus fumatur, fieri non potest: Paulus. Aëtius tumefacta membra, quæque iam refrigerantur, iam calefcunt, velutque formicas repentes sentientia, lauantes per smegmata ex adarce, alcyonio, & pipere defricare iubet lib. 1 2. cap. 41.

Æthiopios radix decocta & pota ischiadicis auxiliatur, Diosc. & Paulus.

Aëtites lapis si gestetur arthriticorum dolores curat: Alex. Trallianus inter physica podagræ remedia. Aëtiten lapidem cum ouo ac modico rosa-

co rosaceo illinire iubet Aëcius lib. 12. cap. 44.  
vbi acopa diuersa ad podagricos & ischiadicos do-  
lores describit, est que ordine 43.

Agaricum facit ad coxendicum & articulo-  
rum dolores si cum aceto multo drachmæ ponde-  
re a. Iumatur: Diosc. & Mesues. Antidotum agari-  
ci podagricis auxiliare describit Actuarius. Aga-  
ricus si ponatur super locum podagræ, euacuat pi-  
tuitam: Montanus consilio 95. centuriæ primæ.

Allium. Vbi initio videris pedes inflamma-  
ri, allium læuigatum quotidie ipsis inducito, non  
soluens, donec fuerint exulcerati: deinde pueri  
(παῖδες ἀφρόρων) impubis vrinæ, quæ calculis mari-  
nis candentibus incēderis, omnia iniijcito, & vitior:  
postea si absynthio pedes obducas adeo efficax  
est, vt non amplius podagra infestet: Alex. Trall.  
inter physica podagræ remedia. Diascordom me-  
dicamentū quod ex alijs conficitur, alijs profuit,  
alijs obfuit, ipsaque sola allia inducta: idem in cu-  
ratione podagræ pituitosæ. Allium diutinos co-  
xendicum dolores, qui à pituita proueniunt, iuuat  
intro assumptū: Simeon Sethi. Item, allium si cum  
melle contundatur imponaturque, ad articularū  
dolores ex pituita prodest.

Aloë aceto diluta, & per pinnam pedibus  
inducta podagræ calidæ bene facit: Scribonius  
Largus. Ego vino dilutam podagræ pituitosæ ma-  
gis profuturam puto.

Althææ radice decoctæ succus ex vino po-  
tus ischiadicis succurrit: Diosc. Althææ radice de-  
coctum potū ischiadicis in exacerbatione auxilia-

tur: Aëtius lib. 12. cap. 4. Ad podagram altheæ herba pista cum axungia vetere, & imposita, tertia die sanat. Huius herbae experimentum plures autores affirmant: Apuleius. Hybisci radix ex aqua mulla cocta & imposita ad podagram frigidam bene facit: Scribonius Largus. Manfuetissimum ad podagram pituitosam hoc est. Altheæ folia cocta trita tum per se, tum cum polline, aut hordeacea farina imponantur. Cerotum item ex radice eius cocta in aqua mulla, & deinde trita. Constet autem cerotum ex gleucino aut irino, imponatur verò his qui tum vehementer calida, tum valde frigida auersantur, mediocribus autem delectantur: Aëtius lib. 12. cap. 33. Atque idem emplastrum ex althea podagricas inflammationes in ipsa exacerbatione mitigans, tumoresque articularum dissoluens, lib. 15. cap. 14. describit.

Alumen aceto tritum illinito: Aëtius inter acopa ad podagricos & ischiadicos dolores, estque ordine quadragesimum: constat verò id repellere, partesque corroborare quòd minùs humor influat: quare in principio saltem còueniet: vel cùm æger à morbo liber fuerit. Andernacus lotionem podagricis valdè proficuum ex lixiuio ex fagi cineribus factò, vino, & alumine admisto, fieri scribit.

Ammoniacum articularum coxendicumque doloribus liberat. Discutit tophos qui in artubus concalluerunt, cum melle aut cum pice illitum. Lassitudines & coxendicum dolores eo perungi vtile est, cù nitro, & cyprino oleo, vice acopi: Diof.



Diosc. Ammoniacum habet emolliendi facultatem intensam, adeò vt & articulorum tophos dissoluat: Galenus. Ammoniacum cum pice arida ad ignem emollitū tophis imponit Aëtius lib. 12. cap. 45. Ammoniacū thymiama succus est mollientis facultatis intensæ. Vnde scirrhus & tophos dissoluit: Paulus. Ammoniacum articulis & podagræ cum pari pondere picis aut ceræ & rosacei coctum prodest: Plinius. Ammoniaci oleum chymico more præparatum ad tophos podagricos dissoluendos commendat Andernacus, qui eiusdem parandi modum docet.

Amomum podagricis confert. item, decoctum amomi podagræ potu conuenit: Diosc. Amomi decoctio bibitur ad podagram, & sedetur in ea etiam ad illud: Auicenna.

Amurca (expressæ oliuæ recrementū) cruda & recenti eaque calida (omisit Ruellius calidam esse debere) podagras articularesque dolores foueri, utilissimum: Diosc. Amurca cocta illinitur podagris incipientibus: item articularibus morbis. Cruda amurca podagris foueri utilissimum: Plinius.

Androsaces podagris utiliter illinitur: Diosc. Androsaces cum aqua in potu sumptum podagricis & arthriticis auxilio est: idem in eupotiltis. Androsaces herba datur & podagricis illinitur. Idem effectus est & semini: Plinius.

Androsæmi semen tritum drachmis duabus potum, biliosa alui excrementa pellit: ischiadicis maximè medetur: sed à purgatione aquam exor-

bere oportet: Diosc. Androsami vsus ad purgandam aluum ruscæ cum semine, potæ que matutino, vel à cœna duabus drachmis, in aqua multa, vel vino, vel aqua pura, totius potionis sextario, trahit bilem: prodest ischiadicis maximè. Sed postera die capparæ radicem resinæ permixtam deuorari oportet drachmæ pondere, iterumque quatruidi intervallo eadem facere. A purgatione autem ipsa robustiores vinum bibere, infirmiores aquam. Imponitur & podagris: Plinius.

Angelicæ aqua distillata, podagricis, & ischiadicis illitu prodest: dolorem enim sedat, & collectos ac lentos humores dissoluit: Tragus. Succus ex semine, herba, & radice angelicæ maioris expressus, atque aqua ex glacie longis frigoribus inueteratæ mixtus, intolerabiles dolores mitigat: Turneiserus lib. 1. botanologici cap. 6. Vbi docet aquam ex eadem planta & radice præparare, quæ cuidam præpotenti, qui in vicesimum sextum annum vsque cum podagra continenter conflictatus fuerat, pannis calidis imposita, præsentis fuit remedio.

Anisum lenit articulares morbos, cum amaris nucibus illitum: Plinius.

Anserem pinguem deplumatum exenteratumque felibus paruis benè habitis minutatim incisis farcito, adiecto etiam sale, & ad ignem lentum asfato, & quod destillauerit, reseruato: habebit vnguentum ad arthritem optimum: Gesnerus ex libro Gallico de morbis curandis Io. Goeuroti. Poteris apud Ant. Guainerium inter remedia arthritidis

tidisvnguentum ex anserē quo innumeri homines restituti sunt, legere. Ego hic saltem simplicia paratuque facilia medicamenta describere proposui.

Anser Bassianus (sic appello quoddam circa insulam Bassi in mari Scotico reperitur: incolæ Solandos nominant) avis maritima, pinguedinem habet ex qua oleum magni pretij conficiunt: habet etiam intestinum quoddam paruum, oleo singularis virtutis refertum: coxendicem enim arthritimque, & id genus morbos sanare consuevit: Hector Boethius in descriptione regni Scotici. Turnerus ad Gesnerum de hac ave scribens, Nec silentio, addit, prætereundū est, ex adipe huius anseris (est enim insigniter adiposus) vnguentum à Scotis ad multos morbos vtilissimum fieri, quod cum Comageno à Plinio celebrato, meritò bonitate & remediorum numero potest certare.

Antimonij oleum trium guttarum instar, vel amplius ex aqua vitæ sumptum, dolores podagricos sedare Andernacus scribit. Atque vitrum antimonij in podagra vtiliter exhiberi idem autor est.

Apiastrifolia articulares dolores illita sedant: Diosc. Conserua siue saccharum melissæ articulo- rum dolores mitigat: Fuchsius 2. de comp. medicamentis libro. Ad dolorem expertum remediū. Conyzæ herbæ, melissophylli sing. vnciam vnam pedibus imponito: Nicolaus Myrepsus sect. 3 8. num. 167.

Apium viride per se, & cum polenta ad podagram calidā primis diebus adhibetur: Scribonius Largus, & ex eo Marcellus empiricus. Apij succus

cum vini hemina ieiuno potui datus ischiadicis efficaciter medetur: Mar. emp. cap. 25. Apiorum folia in podagra pituitosa imposita, conferunt, cum medio cruris est dolor: Alex. Trall. Quidam apij succum pro libito sumunt, ac lactis vaccini tantundem, & farinae frumenti quantitate sufficiente addita pulvem faciunt, cum qua locum emplastrant: Ant. Guainerius cap. 16. de egri. iuncturarum in podagra phlegmatica. Plutarchus in symposiacis ostendit Achillem medicinae quoque peritissimum fuisse, cum scilicet legatorum Vlysis & Phœnicis equos ociosos, ideoque articulorum doloribus obnoxios, apio, quod præcipuum huiusmodi affectuum remedium est, pauisse ait. Turneisserus lib. 1. botanologici cap. 23. Apij siue petroselini, inquit, clissus omni humori phlegmatico, qui extra venas, carni, ossibus, nervis, & ligamenti inhaeret, dicitur. Cumque facultate sua penetrante, humores corporis peruagetur, eosque à putredine asserat, non solum dolores coxendicum, lumborum, & spine dorsii (quod malum quidam, ob doloris similitudinem potius quam causam verè communem, *νεύρα* impropiè nominarunt) efficacia præsentis mitigat: verum etiam podagricos magnificè iuuat, si ex vino sublimato pondere drachmæ hauriatur, & sudor post hæc prouocetur. Idem clissus cum oleo, arthriticis (circa loca dolentia in loco calido inunctus) plurimum prodest. Hæc ille: atque sequenti cap. 25. eiusdem libri, Petroselini hortensis siue communis, addit, clissus rectè non solum à Paracelso, verum etiã authoribus alijs pluribus,

ad

ad humores viscosos (qui ex intemperie quadam, non tam in renibus & vesica, quàm inter iuncturas siue commissuras articularum, & quæ his adiacent partes neruofas, in duritiem tophaceam cōcrescunt) discutiendos & euacuandos commendatur. Podagricos idem & ischiadicos, siue fornicus siue intrinsecus adhibeatur, iuuat: Si enim quotidie partim pondere drachmæ ventre ieiuno sumatur, partim in loco calido, coxendicibus, manibus, & pedibus inungatur, crassum illum humorem, siue (vt nos nominamus) tartaricam viscositatem, quæ redundantia cuiusdam vitio, ex humore pituitoso & bilioso mixta ed irruit, dissoluit & profligat. Eiusdem Sal podagra denique, chiragra, & ischia affectis magnificè opitulatur. Tartarum enim & viscositates grossas, cum incidit, tum expellit: ita, vt morbo hoc affectis, arenulas quasdam albicantes, & seminum milij coctorum similimas, per cutem digitorum & pedum ipse aliquando viderim expullas. Hucusque Turneiserus.

Apri simus vino remissus, tepefactus, colatusque, & duorum cyathorum mensura potui datus, ischiadicis saluberrimè medetur: Marcell. emp. cap. 25. Apri fel cum feuo quolibet impositum, optimè placat podagram in præfens: idem cap. vlt. Vide Ciconia.

Aqua. In aquam calidam absque aliquo decocto demersio ex bile affectis conuenit: Paulus. Vidi quendam biliosâ podagra occupatum, qui immisiss in frigidam aquam pedibus & aliquandiu in ea detentis præclaram opem tulit: Aëtius. Po-

*Aph. lib.*  
5.25.

tus aquæ ante cibum præseruat à podagra, imò iã factam curat. Sed hoc dubium atque incertum. Illud fati constat, cuius etiam meminit Hippocrates, in podagricis doloribus multam & largiter effulam aquam frigidam dolores leuare, extenuare, ac soluere. Nam quatuor commoda affert, è quibus tria sunt constantissima. Repellit enim materiam, membrum ipsum calorem reuocando confirmat, stupefacit, & si calida sit materia, tam illius intemperiem quàm affectum in membro æquat ac lenit: Cardanus lib. de aqua. Adnotatum est, eos qui inter milia podagræ, dolorisque articulorum vini potum subtrahunt, & ad aquam confugiunt, magnificum sentire præsidium, ac penè diuinum: ferèque compertum est potores aquæ, rarò aut nunquam podagricos aut chiragricos effici: Ioannes Bruyer lib. 16. de re cibaria cap. 13. Vide inferius vbi de niue scribo. De aqua marina in sale dicam: similiter de sulphuratis, in sulphuris titulo. Hoc vnicum lector admonendus, lotionem pedũ cũ simplici aqua dulci calefacta ad podagras præparare pluribus id affirmantibus, ideoque semper salis aliquantum iniiciendum esse.

Aquila. Ad lumborum dolorem, aquila pedes euellit in aduersum à luffragine, ita vt dexter dexteræ partis doloribus adalligetur, sinister lauæ: Plinius. Quidam philosophus dixit, si accipiatur calcaneus aquilæ, & ponatur ligatus super pedem ægri, curatur: ita quòd dexter super dextrum, & è conuerso, & iurauit quòd sit verum: Rasis lib. de ægri tud. iuncturarum. Si ex collo atque dorso aquila

aquila neruos extraxeris, eosque super collum infirmi & spodylos colligaueris, dolor arthreticus illi non rediturus abibit. Item de calcaneo pedis aquila dextrum super dextrum: & pariter sinistrum super sinistrum pedem podagræ per triduum alligato: sedabitur dolor & perpetuò fiet à podagra securus: Guainerius.

Arantia, vide Citrum.

Arietij radix bibitur aduersus coxendicum dolores ex vino: Diosc.

Argemonia tula ex melle vtrilibet podagræ conuenit: Plinius lib. 26. cap. 10.

Ari radix ex fimo bubulo podagris illinirur: Diosc. Ari folia articulis podagricis cum sale recētia vel sicca profunt: Plinius. Ari & Arisari radicē ponit Aëtius inter ea quæ in durioribus corporibus, tumoribus non dolentibus conueniunt, lib. 12. cap. 41.

Arietis fel cum seuo podagras lenit: Plinius, & Marcellus.

Aristolochiæ rotundæ vsus est in quibus crassum humorem validius extenuare oportet: est verò auxilio podagricis, si cum aqua bibatur: Galenus. Aristolochia podagram & musculos contusos cum melle & pauco sale emplastri modo admota iuuat: Mesue. Podagricus si tam vere quàm hyeme drachmā vnā aristolochiæ rotundæ cum aqua mellis per mensem continuè biberit, cum nunquam podagra inuadet: Guainerius. Quidam vnciam vnā aquæ distillatæ manè bibendam exhibent, eademque membra arthretica lauantes fricant.

Aëcius lib. 1 2. cap. 47. antidotum podagricam ex hyperico efficaciorē reddit per aristolochiā, quę natura sua articularibus morbis auxiliari solet, & duris corporib. in primis prodest. Aristolochia est conueniens epithema super podagram, & propriè rotunda: Auicenna.

Artemisię radix præmansa, & comesta, intolerabiles podagrę dolores cū omni celeritate coercet. Eadem herba cum oleo subacta, & imposita neruorum dolorem & tumorem mitigat: N. Alex. Præfens remedium ad coxę dolorem sic: Artemisiam aridam tundes, cribrabis, & ex vino dabis bibere ieiuno, continuò emendabitur vitium: Marcellus empiricus cap. 2 §. Fomentationem ex decoctione artemisię herbę podagricis commendat Cælius Aurelianus chronicon lib. 5. cap. 2. Experimentum regij cuiusdam chirurgi aduersus chiragras & podagras. Accipe manipulum vnum artemisię, deferuefacito in oleo dulci oliuarum, donec decrescat ad tertias: eo dolentem locum inunge, senties breui tempore dolorem sedari: Ant. Mizaldus in memorab. Artemisiam traganthen siue tageten dictam (Dioscoridis artemisia tenuifolia absque dubio est) tundes cum axungia, & aceto bene subiges, & impones & alligabis, tertia die coxarum dolorem sanabit. His qui in pedibus grauiter dolent, artemisię huius radicem ex melle dabis manducare, & ita citò purgabitur, vt vix credi possit tantam virtutem habere. Herbam tusam & oleo bene subactam (Diosc. succum eius cum rosaceo miscet) impone ad neruorum



uorum dolorem & tumorem, mirificè sanabit: L. Apuleius.

Asari radices vetusto coxendicum dolori (*ἰσχιαδικῶν* & *ἄσπυριος*) profunt: Diosc. Vinum asarites ischiadicis conuenit: cum eodem Guain. Vinum asarites ischiadicis corroborat: Constantinus de agricultura lib. 7. cap. 6. Asarum manifestius pituitam, quàm bilem educit: quo fit, vt coxendicum cæterarumque compaginum dolore vexatis non obscure opituletur: præsertim si sero maceretur, vel decoquatur: Mesue.

Ascyri seminis vsus ad ischiadicis potum in hydromelitis sextario: nam biliosa recrementa amplissimè detrahit: sed assiduè dare oportet, donec sanitati restituantur: Diosc.

Asininum lac bibèdo qui liberati sint podagra chiragræve inter exempla sunt. Serum etiam asinini lactis efficacissimè heminis per interualla singulis diebus quinis articularibus morbis bibitur: Plinius lib. 28. cap. 9. Quidam cum lotio (lacte, melius legetur) epoto se eluissent, in perpetuum articularum in manibus pedibusque dolores euaserunt: Cornelius Celsus. Asinini stercoris succum asinino lacti, ac dulci vino admisce, & illine ad podagram: autor euporiston lib. 3. cap. 248. Ex asininis ossibus mirabiliter efficax medicamentum Guain. cap. 18. parate docet.

Asius lapis. Ex Asio lapide fit cataplasma podagris, misto fabæ lomento. Iuuantur item podagræ pedibus in solio ex Asio lapide excauato inditis: Diosc. Lapis qui carnem exedit, quem *σπερμαφάγος*

Græci vocant, excisus, sic vt pedes capiat, demissos eos cum dolent, retentosque ibi leuare consuevit. Ex quo in Asia lapidi Asio gratia est: Corn. Cels. Asius lapis gustu falsus podagras lenit, pedibus in vase ex eo cauato inditis. Præterea omnia crurum vitia in ijs lapicidinis sanantur, cum in metallis omnibus crura vitientur. Sed ex eiusdem lapidis flore dicto fit cataplasma podagris, mixto fabæ lomēto. Est autem farina mollis similis pumici ruffo: Plinius. Malagma ex lapide Asio podagricis, & arthriticis valdè vtile Gal. sub finē lib. 10. de compos. medicam. secundum locos describit. Fomentum ad podagram sic parato: Fabæ nigrae integræ sextarium moles & in tarinam rediges cum corticibus suis, de lapide sarcophago vnciā vnā tundes, & cribrabis, & ex aqua tepida permiscebis, atque in pannum inductum impones pedibus, & alligabis: Marcel. emp. cap. vlt. Sarcophagus lapis confert doloribus podagricorum extenuando: Card. lib. 7. de subt. Sed Iulius Scaliger sarcophagum in biliosa podagra impositum, vehementiorem inflammationem facturum admonet.

Asparagi radice decoctum cōtra coxendicum cruciatus proficit. Semen potum ad eadem ad quæ radix valet: Diosc.

Asphodeli bulbi nervis articulisque cum polēta tusa illinuntur. Sophocles ad podagras cocta crudaque vsus est: Plinius. Asphodeli radicem in superficie derafam accipito, & contusam cum oleo sufficiente coquito, percolato, & ad oleum modicum styracis conijcito, quo deliquato sycomori succum

succum addito, & commisceto. Pedes autem si inde illeueris, confestim dolorem leuabis: Aētius inter acopa ad podagricos & ischiadicos dolores: Asphodeli radicem cum polenta, rosaceo, & aqua impositam prodesse Diosc. in euporist. tradit.

Assa fœtida ad auellanæ quantitatem cum aqua mellis sæpe sumpta à schiadica passione præseruat. Auicenna dosando eam obolum vnum præbet, quod duodecim granorum hordei pondus est: Guain.

Aster Atticus coxendicis dolori adalligata prodest: Plinius.

Atriplicem podagris vtiliter illini putauit Hippocrates: Plinius. Quidam atriplicem contusam melle admixto cataplasmatismodo podagræ vtiliter imponunt.

Auellanarum oleum dolores neruorum & arthriticos sanat: Mesue. Cùm auellana nux sit terree magis & frigida substantia, quàm regia, tamen non nihil caloris habet quo resoluit, estque anodyna, & sua sicca substantia humoris arthritici portionem absumit: Syluius in Mesuem. Bibi quoque vtiliter in articularijs morbis addit Manardus in suis in Mesuem annotationibus. Emplastrum ex auellanis ad callos, lapidosasve durities articulorū, valde bonum describit Nicolaus Myr. sect. 10. num. 171.

Auripotabilis vsus auctores ad articularios morbos, vt chiragram, gonagram, podagrā, coxatumque cruciatus commendant: Andernacus, & alij. Philippus Melanthon in locis communibus per

Manlium editis, Noui, inquit, quendam canonicū qui reliquit plus quàm triginta millia aureorum, homo arthreticus: is si quando ingentes cruciatus, quos ex morbo perpetiebatur, lenire vellet, iubebat sibi afferri peluim aureis impletam, quibus inuoluebat manus, taliq̄ue inuolutione se in maximis doloribus & corporis ipsius cruciatibus oblectabat.

**B**alsami semen commodè potui datur ischiadicis: Diosc.

Batis tam hortensiana quàm matina illinitur podagris tosta & contusa: Plinius. De hac herba lege Gesn. in hortis Germaniæ, & Ruellium, autoreſq̄ue Anglici herbarij.

Bellidis genera quidam ad ischiada laudant: Matth. Decocto bellidis minoris quidā membra intumefacta fomentant: iisdemq̄ue radicem contusam, vt ipsi aiunt, vtiliter imponunt. Calorem sanè mitigant, leniterq̄ue dolorem sedant folia tusa & imposita.

Betæ succum sufficiente quantitate cerato rosaceo adiectum optimum pharmacū esse pro podagra biliola Aëcius scribit. Incipientem podagrā discutiet betarum exustarum cinis leuissimus admixto sanguine bubulo subactus & impositus: Marc. emp. Ipsa quidem folia inflammationibus imposita conducunt, tumores enim deprimunt, & calorem restinguunt.

Betonicæ herba datur ischiadicis ex aqua: Diosc. Betonica herba cum vino pota podagricis & arthriticis auxilio est: idem in euporistis. Betonica ischia-

Ischiadicis bibita auxilio est: Gal. & Aëtius. Betonica potu dolores podagricos lenit, præfertim radicum decoctum potum. Idemque præstant contrita folia imposita: Ant. Musa: item Marc. emp. Betonica herba per se emplastri modo imposita, in podagra pituitosa confert: Guain. cap. 16. Antidotum ex betonica purgatoriam summeque podagricis ter in mensē datam conferentem Aëtius lib. 12. cap. 46. describit.

Bitumen cum vino & castorio potum coxendicum, laterumque doloribus auxiliatur: Diosc. Bitumen pro catapotio deuoratum ischiadicis in exacerbatione auxiliatur: Aëtius. Bitumen illinitur & podagris: Plinius. Bitumen concalfactum, & cum farina hordeacea, nitro & cera illitum, podagricis & articulorum doloribus vexatis, arthriticisve prodest: Diosc. Bitumen fossile durum diurnos genuum tumores inflatos cum cæteris medicamentis, quæ eandem vim habent, mistum, discutit: Georgius Agricola lib. 4. de fossilium natura.

Bouis armentaria fimum coxendicis cruciatus fotu compescit: Diosc. Bubulum stercus cum farina hordeacea, in aqua mulsâ coctum: aut per se ipsum recens humidum impositum, cum brassicæ folijs pituitosæ podagræ prodest: Paulus. Bouis fimum cum aceti fece podagris medetur. Magnificent & vituli, qui nondum herbam gustauerit, fimum, aut per se sanguinem tauri: Plinius. Fimi vitulini cinis cum lilij bulbis decoctis, addito melle modico, podagris prodest, & articularijs morbis, è maribus præcipuè vitulis: idem. Stercus bubulum

C

cum aceto potenti, aut vino, aut ouis crudis dolo-  
rem podagricum sedat: Ant. Fumanellus lib. de  
compos. medicamentorum. Ad pedes, siue longa  
inambulatione, siue humoribus ad eos delatis, li-  
ue alijs de causis tumefactos ℥. stercoris bubuli,  
vel vaccini recentis quantum volueris, coquatur  
cum vino optimo, donec spissum euadat: deinde  
calidum super partem affectam ponatur, & sana-  
bitur, ita, vt ei alio remedio opus non sit futurum:  
Alex. Pedem. Accipe fellis tauri vnciam semis, fa-  
lis cōmunis vncias duas, commixta post tres dies  
elambicentur, & stillatitio liquore illinatur locus  
podagricus: Ant. Fumanel. Fel taurinum cū aqua  
rosacea, ad lentum ignem coctum, vtilissimè in do-  
loribus arthreticis à causa frigida ortis illini, certa  
quorundam experientia constat. De carne bubu-  
la, vide Caro.

Brassica cum sœnigræci farina podagris & ar-  
ticulorum vitijs illinitur: Diosc. Brassicæ crudæ  
succus cum farina sœnigræci, vel lentium, aut ace-  
to podagris prodest: idem in euporistis. Brassica  
(conciisa, Alex. Tral. viridis, Paulus) imposita pitui-  
tosæ podagræ confert cū mediocris dolor est:  
Alex. & Paulus. Herbæ brassicæ folia cum axun-  
gia contusa, & commixta, quasi malagma induces  
lineteolo grosso aut in aluta, & impones ad poda-  
gram, & tumores quoscunque. Quòd si vetustissi-  
mus dolor fuerit, eò magis efficacior erit salus: L.  
Apuleius. Caro brassicam tradit podagræ, morbis-  
que articularijs illini cum rutæ, coriandri, salis mi-  
ca, hordei farina. Aqua quoque eius decocta, ner-  
uos articulosque mirè iuuari: Plinius. Podagram  
& mor-

& morbum articulare, sanat decoctæ brassicæ fomentum: ipsa verò farinæ hordeacæ, & coriandro, & ruta, admixta, modicoque adiecto sale, in emplastro imposita: Const. lib. 12. de agricult. cap. 12. Si dolor remanet, cataplasmate ex brassicæ folijs vteris. habet in hunc modum. Folijs brassicæ coctis læuigatisque diligenter, fecem aceti, ouorum crudorum lutea duo, & rosacei paulum adijcito, ac mixta omnia simul, læuigataque inducito, continuè immutans medicamentum: Alex. Trall. Succum brassicæ ex aceto, vel cū fœnogreco aliqui articulis podagrisque imponunt: Plinius. Vt Adamantinus cenluit, brassicarum siccarum radicum & caulium combustorum cinis cum suillo adipe optimè ad articulos podagra laborantes facit: si dolor adsit, nouo & insulto: si digerendum sit, vetusto & salso: Oribasius nono synopsis libro. Cinis radicis & caulium brassicarum vstorū, cum axungia impositus multis in podagra pituitosa prodest: Paulus, & ante ipsum Scribonius Largus. Stirpium brassicæ aridorum cinis, inter caustica intelligitur. Ad coxendicum dolores cum adipe peruetusto vtilis: Plinius. Inuenio & à podagra liberatos edendo eam, decoctæque ius bibendo: idem. Morbum articulare nullares tantum purgat, quantum brassica cruda, si eam edes cū ruta & coriandro concisam. Sic & laserpitium intratum cum brassica ex aceto oximeli, & sale spatula. Hac si vteris, omnes articulares morbos poteris expellere. Nullus sumptus est, & si sumptus esset, tamen valetudinis causa experirer. eam manè o-

22                   MEDICAM. CONTRA  
portet ieiunum esse: M. Cato de re rustica cap.  
157.

Bryonia radix cum pane tophorum coactionem prohibet: Paulus. Duris tumoribus post inflammationes relictis Aëtius lib. 12. cap. 46. imponit. Bryonia radicem inter medicamenta agrestioribus corporibus ac tumoribus qui agerrimè concoquantur efficacissima eiusdem libri cap. 41. idem numerat. Ceratum podagricum ex bryonia egregiè faciens ad omnes inflammationes & dolores articularum & in vigore & in remissione describit idem libri eiusdem cap. 43. Puto autè Cornarium in eius descriptione bryonia per obliuionem omisisse, vel magno cum errore cucumerem syluestrem Latinè reddidisse. Ego saltem priores octo libros Aëtij Græcè habeo, aliàs contulissim.

Bubali fimum ischiadicis conferre nuper quidè carmine lusit, nimirum barbaros qui remedia quæ Diosc. de bubulo fimo scripsit, absurdissimè ad bubalum referunt, sequutus.

Bulbi articularum doloribus utiliter illinuntur: Diosc. Item, bulbi podagras ex melle aut per se illiti cohibent. Bulbi post vigores tumore relicto imponantur per se, aut cum polentæ polline, vsque ad lancinationem. ita enim operari solent: Paulus. Bulbos duris tumoribus post inflammationes relictis Aëtius imponit. Tophorum coactionem ita adposita prohibent.

Butyrum recens arthreticæ passioni à proprietate conuenit vt Haliabbas inquit: Guain. *Βούτυρον* secundum Turneisseri doctrinam præparatum,



tum, (docet autem præparare lib. 1. herbarij cap. 32.) non dubito cuiusvis doloris præstantissimum remedium fore.

**C**alamintha ischiadicis imponitur, vt ex alto humores euocet, summam cutem exurens: Dios. Calamintha sola vtiliter in exacerbationibus coxendicum morbi imponitur cum aceto mulso aut aqua mulsa: dolores enim soluit: Paulus. Calamintham coxendicibus quidam in ægritudinibus ischiadicis tanquam strenuum remedium illinunt. Trahit enim quæ in profundo hærent, ad superficiem: totumque ad eò articulū exalfacit, cutemque non obscure aurit: Galenus, & Aëtius. Calaminthæ præsertim viridem, aut si haberi nequeat, cum posca locis imposito, est enim præfidiū præclarum: Aëtius inter cataplasmata ischiadica.

Caniculam paruam probè sagineatam viam, & mustelam viam in olei sextarios nouem, ac butyri libras tres conijcito, atque donec vieta fiant animalia coquito: deinde in percolatum oleum calidum pedes aut manus per totam diem imponito. Ad podagram & articulare morbum mirabile est: Aëtius. Lactentes catelli tres quatuorve, coquantur ad carnis consumptionem, & decoctorum pinguedine supernatante, vel ipso decocto vttere: Ant. Fum. Multis profuit in duplici calceo pellem caninam habere: Scrib. Lar. Caninum stercus album cum aqua calida tritū, atque ita tepefactum quàm crassissimè illinito, & folia oleris alicuius supra illitionem impone: Aëtius inter acopa ad podagricos & ischiadicos dolores, estque ordine vl-

tinum. Marc. emp. ad ischiadem huiusmodi remedium describit: Stercus canis album, siccatum in Sole, & minutissimè puluerizatum ceræ rubæ lento igne liquefacta admisceatur, addaturque parum olei vt mollus efficiatur medicamentum. Canino adipe pedes inungere podagrâ sanat: *Æsculapius*. Quidam ad tophos materiæve indurationem in cane magnâ spem habent, illinuntque loca sanguine eius, affirmantes plurimum prodesse. Ex cane item vnguentum ad eandem affectionem conficiunt: Guain. Catulus trium dierum occidatur, & sanguine eius liniatur podagra, optimè cõfert: *Simon de Louitz lect. 13*. Inter ea quæ calorè augent, excitantque, ac dolores placant, catellos refero, non equidem omnes, sed hos præcipuè, quibus color cutis concolor, nec tegmen multis diuersisque maculis variegatum, qui non solum natiuum insitumque calorem fouent, sed dolorificos affectus sedant. Sic in chiragra ac podagra omnique arthritide nihil præsentius ad consopiosos mitigandosque cruciatus quamlibet acerbos, quam huiusmodi catelli membris affectis adhibiti. Suauem enim calenti que effluxu natiuum hominis calorem languidum atque euanescentem excitant, ac fotu continuo, humorem qui dolores infert, vel attractione ad se rapiunt, eliciuntque: vel diaphoresi, hoc est, digerente vi ac discussoria incidunt, ac dissipant. Videmus enim illos ubi amoueri contingit, atque aliquid ijs laxamenti indulgere, fractis eneruatisque esse articulis, atque ægrè pedibus insistere, maxima doloris parte in se translata.

lata. Quòd autem color cutis per omnia æqualis & concolor id potissimùm efficiat, nec varius partem effectum obtineat, facit temperamenti equalitas, atque vniformis calor: discolor siquidẽ diuertusque color indicat caloris humorisque intemperiem, ac commixtionem. Vt enim insitio naturæ arborum correspondere debet, ita hominem in fouendis membris æqualem per omnia, ac temperatum calorem coaptare conuenit: Hęc omnia Leninus Lemnius lib. 2. de occultis naturæ miraculis cap. 13. Quidam ex caniculis ante nonum à partu diem per descensum oleum sequenti modo conficiunt: accipiunt ollam quam defodiunt in scrobe terræ, superque orificium eius in formam craticulæ fraxini ligna tenuiter concisa ponunt, hisque caniculas imponunt: tum alteram ollam super priorem ponunt lutoque commissuram circumdant: tandemque ignem lentum circa superiorem ollam ligno vel carbonibus per integrum diem naturalem faciunt, sicque oleum defluit in ollam inferiorem: quod arthreticis membris plurimum prodesse certa & indubitata quorundam experientia constat. Alij simpliciter caniculas asfant, pinguedinemque excipiunt. Sunt qui caniculas rubras eligendas dicunt. Caligis, & manicis, ac chirothecis, ex pelle canis ruffi paratis, vt, contra podagram & chiragram, remedium præseruatium non contemnendum à multis haberi, tradit Amatus Lus. cent. 5. curat. 29.

Cannabis syluestris radix decocta topios articulorum discutit: Diosc. Cannabis radix contra-

ctos articulos emollit in aqua cocta, item podagras & similes impetus: Plinius.

Capillus puerorum qui primùm incisus est, podagræ impetus dicitur leuare circumligatus, & in totum impubium impositus: Plinius. Pueri primi capilli à natiuitate si pedibus dolentibus impositi fuerint, sanabuntur: Sextus Platonius. Capillorū muliebrum crematorum cinere admixto adipi suillo podagras iuuari scribit Plinius.

Capparis fructus vtilissimè in coxarum doloribus bibitur: Diosc. Capparis quæ editur, madefacta in aqua & trita, postea oleo excepta in modum cerati, imponatur in linteamine: idem in eup. Capparis cortex siue decoctus in aceto aut oxymelite, & id genus, siue aridus contusus, illisque permixtus, apertè crassos lentosque humores euacuar, nec eos tantùm per vrinas, sed & per ventrem sæpe etiam sanguinolentos defert, vnde & lienes adinti sunt, & coxarum dolores: Gal. Capparis corticis drachma vna cum vino pota ischiadicis in exacerbationibus auxiliatur: Aëtius. Capparis radicis cortex potus, & cataplasmatibus admixtus in exacerbationibus coxendicum morbi prodest: Orbasius, & Paulus. In dolore coxarum maximè prodesse videtur, aut cum hordeacea farina, aut cum ficu ex aqua decocta mislus capparis cortex concisus, itaque impositus: C. Celsus. Capparis decoctum superinfusum quoddam multum iuuat: Paulus. Emplastrum ex cappari ad coxendicum affectiones commodum describit Aëtius lib. 1 §. cap. 19. Drachma vna radicis capparis cū aqua mel-  
lis

lis per quadraginta dies continuè manè pota præferuat optimè à sciatica: Guain.

Caprinus adeps podagricis auxiliatur, cum fimmo capræ & croco impositus. Caprarum fimum cum axungia impositum, his qui podagra tentantur auxilio est: Diosc. Quidam podagris mederi ferunt hircinum seuum cum fimmo capræ, & croco sinapive, vel caulibus hederæ tritis, ac perdicio vel flore cucumeris sylvestris. Senū hircinū cū helixnes parte æqua, sinapis tertia: fimi caprini cinerem cum axungia: Plinius. Caprinum stercus digerentis & acris facultatis est, aded vt & induratis scirrhorum in modum tumoribus congruat, nec tantum lienis, ad quos creberrimè medici non pauci huiusmodi stercora applicant, sed etiam aliarum partium. Siquidem ego eo vsus sum ad genu tumorem habens inueteratum & ægrè solubilem, iussio fieri cataplasmate ex farina hordeacea, per oxycratum, indito videlicet hoc stercore: & mirum est quàm homo ille fuerit adiutus. Erat autem rusticus in quo id factum est. Et iam etiam alius rusticus cum sic vsus esset, non tantum in genu, sed etiam alijs in partibus ad tumores similes, perinde adiutus est. Nam acrius est medicamentum quàm vt mulieres vrbanas, aut pueros, aut omnino qui tenera sunt carne, sanare possit: Galenus. Caprinum stercus per se aut cum farina hordeacea, ex posca coctum, atque impositum podagræ pituitosæ prodest: Paulus. Peruulgatum est hoc ad dolorem arthriticum tollendum proficere. Capram oportet herbã iridem ad satietatè depalci: deinde

interposito tempore, quantum ad pabulum in vetriculo conficiendū latis sit, capram immolare: atque intra eius ventrem in fimo pedes ægrotantis occulere: Aretæus. Q. Serenus Samonicus cap. de podagra depellenda:

*Aut cum prima mali sese ostentabit origo,  
Fervida non timidis tolera cauteria plantis,  
Seminecisve hirci referato pectore calces  
Infere, sic dira reprimet primordia pestis.*

Vtilem (inquit Dioscorides) ischiadici vstionem hunc in modum accipiunt: In eo interstitio vbi pollex brachiali committitur, caua veluti lacuna subsidet, in qua lana oleo imbuta substernitur, deinde sigillatim feruentis stercoris caprini pilulæ imponuntur, dum vapor per brachium ad coxam sentiatur peruenire, & coxendicis dolorem mitigare. adustio id genus Arabica appellatur: Hæc ille. Albucaasis istum modum cauterij nominat cauterium vaccinum. De hac Arabica vstione lege Gesnerum vbi scribit de chirurgiæ præstantia pag. 394. Caprinum omentum impositum podagræ calidæ prodesse scribit Scribonius Largus. Ex recenti caseo caprino fac emplastrum pro podagra phlegmatica & videbis; Guain. Hircini sanguinis cinerem articulorum morbis mederi scribit VVeckerus. Fel caprinum in genuum dolore penna nõ manu inunge, statim dolor cessat: Isaac lib. 8. pract. cap. 39. ex felle capræ cum pluma inunge ischiam, & videbis; Guain. De lactis caprini in podagricis doloribus sedandis vsu, lege in lacte.

Car-

Cardamomum ex aqua potum ischiadicis prodest: Diosc.

Caricæ si cum scenogrico & aceto super podagricorum pedes ponantur, non parum conferunt: Simeon Sethi.

Carmen. Theophrastus dixit ischiadicos carmine sanari. M. Varro carmen podagris auxiliari prodidit: Plinius lib. 28. cap. 2. in quo an sit in medendo verborum aliqua vis inquirat. Creditum hoc à plerisque est, & memoriæ mandatum, ischiadici cum maximè doleant, tum si modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores: Aulus Gellius lib. 4. cap. 13. Quidam cantilenas ischiadicis adhibendas probauerunt, ut etiam Philistionis frater idem memorat lib. 2. de adiutorijs, scribens quendam fistulatore loco dolentia decantasse, quæ cum saltum sumerent palpitando discusso dolore mitescerent. Alij denique hoc adiutorij genus Pythagoram memorant inuenisse. Sed Sorani iudicio videntur hi mentis vanitate iactari, qui modulis & cantilena passionis robur excludi posse crediderunt: Cælius Aurelianus de ischiade. De vanitate incantationis lege Polydorum Vergilium lib. 1. de prodigijs. Vide Musica, & Mula.

Caro perfecti animantis terrestres vulneribus imposita calida est & sicca, attenuat enim, digerit & concoquit: atque frequenter in articulorum doloribus anodynum fit, & dolorem mitigat: Volcherus Coiter tract. de partibus similaribus. Noui quosdam (inquit Alex. Trall. in cura podagræ biliosæ) qui fluxione copiosissima & acri laborabāt,

maximè carnibus bubulis adiutos. Dicebāt enim non amplius se continuè, aut vehementer pedibus dolere, quemadmodum cū tenui victu vterentur: esse autem pedes bubulos, & ventres magis quàm decoctum. Ericij caro à proprietate arthriticis conuenit vt inquit Haliabbas: Guain. Caro arthriticis vitāda est, quoniam eius frequens comestio, vt Rasis inquit, podagram inducit: idem. Pullinæ ac qualearum carnes, teste Apuleio Platonico, vitandæ sunt: quoniam arthritin à proprietate quadam inducunt. Capi etiam caro, quoniam ipsi podagræ obnoxij sunt, à prudentioribus medicis improbatur. Quare capi, qui castrati sunt, podagra mitis modis afficiantur, galli non, Scalig. de Subt. exerc. 277. 2. rationem reddit.

Carpobalsamum ex aqua mulla potum ischiadicis in exacerbatione auxiliatur: Aëtius lib. 12. cap. 4. Caryophyllatæ Veronensium flosculi oleo amygdalino & rosaceo macerati, articulorum & nervorum doloribus mulcendis commendantur Matthiolo.

Caseus recēs coactus impositus mediocres inflammationes etiā solus iuuat, & cū polenta, & cum farina præsertim hordeacea. Habet enim in se non modò quid repulsiuū, sed & discussoriū, per quod & tenues fluxiones repellit, & humores in articulis euacuat: Aëtius. Cū mihi olim caseus allatus esset bubulus, quem ex odore acrem esse coniciebam, abicci: & iam à famulis absumptum putabā: cæterum illi talia seruare soliti, longo pòst tempore ex promptuario proferentes, quidnam de illo fieri



fieri iuberem rogant. Cùm igitur edendo non eſſet propter actimoniam, ludicrum nobis problema extitit, proponentibus cui rei quis illam vultiter poſſet accommodare. Interea cùm ad me arthriticus qui ſpiã in curru cõuectus eſſet, tophos quos Græci *τῆρες*, nuncupant, in articulis habens: ſubiit mihi crure ſuillo ſalſo decocto, caſeum eo decocto macerare, ac probè in mortario ſubigendo vnicũ tophis imponere. Et ſanè arthriticus ab hoc medicamine magnificè a diutus eſt. Nam rupta ſponte ſua cute, abſque incifione videlicet, efluxere quotidie citra dolorem tophorum particulæ. Vbi autem totus qui apud me erat caſeus fuiſſet abſumptus, talem ſibi alium comparans arthriticus in poſterum ſeruauit, & poſtea rursus vſus eſt inueterato: atque vbi tunc quoque idem percepit commodum, ſæpius deinceps vti perſeuerabat: & quosdã amicorum ſimiliter affectorum docuit: Gal. Hoc Galenicum remedium omnibus ferè corporibus adhibitum congruit: Aëtius. Ad tophos in articulis priuatim facit caſeus vetuſtiſſimus & acerrimus, cum carnis ſuillæ pinguis ac veteris decocto tritus ac impoſitus. Erumpente enim topho ſua ſponte, quotidie euacuatio contingit: Paulus. Vetus caſeus, & magis qui pinguis eſt, diſcutit, vt etiam ad tophos arthriticorũ cõmodet, maximè cũ ſuillæ carnis decocto, quæ ſalſa ſit ac pinguis: idem. Galenus, Raſis, & antiquorum plurimi cũ emplaſtro de caſeo à iunctura lapides extrahebant, quod ſic fit. Pedes porcorum ſalitos in aqua tãtiſper coques, donec totum velut muccilago fiat: cum quo

postea pulueris antiqui casei partes duas, puluerizati verò nasturtij partem vnam misce, & fac emplastrum quod super iuncturam appone: namque rumpit, & illam gypseam seu lapideam materiam extrahit. Sæpius hoc (inquit Rasis) vnguentum expertus sum, & innumerabiles patientes curavi. Nonnulli antiquum caseum cum oleo pistant, & eo emplastrant. Et alij caseum annorum plurimum qui sua sit acrimonia mordacitius valde, cum apozemate salitorum pedum distemperant, & cum vêtusta adipe salita emplastrum faciunt. Tu autem quod vis istorum facito. Nam ista ex caseo emplastra magis inter alia commendant: Guain. Et si plerique medici in præseruanda podagra caseum cōedere prohibuerint, Rasis tamen recentem in cibo commendabat: Guain. cap. 26. Credo, inquit, quoniam humores ingrossando ad membra defluxum ipsorum prohibet.

Castorei drachma vna cum opapanacis obolis tribus summè facit in exacerbationibus ischiadicorum: Aëtius lib. 12. cap. 4. Castoreum cum oleo illitum arthriticis prodest: Diosc. in eupor. Castoris testes medentur ischiadicis inuncti vel triti ad crassitudinem mellis cum semine viticis ex aceto: Plinius. Podagris vtile est fibrinis pellibus calceari, maximè Pontici fibri: idem. Antidotus è castorio podagræ vtilis à Nic. Myrepsō sect. 1. numero 316. describitur.

Catus, vide Herinaceus.

Centaurij minoris decocti ius ischiadicis conuenientissimè infunditur: trahit enim sanguinem: (vtilem

(vtilem inquit Hippocrates ischiadicis dysenteriam: habet enim imitationis quippiam recorporationis faciundæ: quanquam plurima vexatione corpus afficere videatur: Gal. Aur. lib. 5. tardarum passionum) & dolorem leuat: Diosc. Decoctum centaurij minoris herbæ quidam ischiadicis infundunt, ceu biliosa & crassa ducens: nam & talia purgat: quanquam cum ad eò vehementer operabitur vt cruenta euacuet, tunc plus proderit: Gal. & Aëtius. Centaurium paruum bilem & mucos purgans, priuatim coxendicum morbo laborantibus conuenit. Bibitur ipsius decoctum, sic vt centaurij sesquidrachma in aquæ hemina coquatur, donec ad dimidiam veniat: Paulus lib. 7. cap. 4. Diosc. etiam centaurij minoris decoctum in potu sumptum podagticis & arthriticis auxilio esse, in eup. scribit. Ramulorum centaurij parui decoctum ex coxendicum morbo laborantibus per sedem infusum, biliosa euacuat, quandoque etiã cruenta, & magnopere auxiliatur: Paulus. Cent. minoris ramulos contundito & cribrato, ac ieiunis cochlearium ex aqua calida ad horas (ego puto, dies, legendum) tres aut plures ischiadicis bibendum dato: item eiusdem decoctum: Aëtius lib. 12. cap. 41. Corymbi eius tusi ac cribrati cochlearij mensura ischiadicis dantur ieiunis cum aqua calida, ad triduum, aut etiam plures dies. Eius certè pharmaci efficacia magno miraculo sæpe fuit: idem lib. 1. Succus eadem quæ decoctum præstat: Gal. & Aët. Centaurium minus confert ischiadi clystere iniectum, vel cataplasmate impositum: Mesues. Anti-

dorum podagricam ex duobus centaurij generibus describit Aët. adeò salutarem podagricis esse asserens, vt quosdam per quindecim annos podagra correptos, eius vsus ad iter pedibus faciendum preparauerit.

Centynæ (ex galeorum genere piscis est) hepar in oleum abit, quod dolores articularum leuat, quod quidem magno cū successu experti sumus: Rondeletius.

Ceparum succus podagra laboranti parti illitus, & desuper piperis nigri puluisculus respersus, ac spongia vino decoctionis cimini imbuta, superposita, si bis in die iteitur, manè, & serò, magna pollicetur: subtiliatur enim humor, & per sudorem extrahitur, vel saltem per insensibilem euaporationem: Amat. Lus. cent. 5. curat. 29.

Cera. Arthriticis conuenit etiam digitis ceram emolliendam dare: item mouendos cereos: Cæl. Aur. chronicôn lib. 5. cap. 2. Cera quidem in mollioribus corporibus post inflammationes tumoribus imposita prodest, habet enim quiddam digerentis potentia. Si dolor in podagra sanguinea auctus fuerit, fomento ex cera quod cerembroche dicitur vtendum est. Habet in hunc modum. Sapræ partes duæ, rosacei pars vna, ceræ minimum, vt fomentum tantummodo crassius efficiat. Excipiuntur autem omnia lanis succidis, imponanturque per hyemem quidem tepida, in æstate verò frigida. At si inflammatio in alto fuerit, etiam nitri paulum, & olei dulcis rosacei admisceto, magisque proficies: Alex. Trall. Oleum ex cera pingui, per chimiam

chimiam extractum, ad emolliendas durities præstantissimum est: maximè enim penetrat, emollit, ac discutit: miracula autem facit in doloribus scdandis, vt podagræ & arthritidis. Summum certè est remedium, & temperatissimum oleum: Ges. in 2. parte Euon. vbi præparationem eius docet. Idè ad dolores podagricos præstantissimum ait esse Andernacus, qui etiam varios id præparandi modos describit.

Cerafa viridia scribit Dios. ventri vtilia esse, siccata verò sistere voluit, cui adhæret Plinius, additque stomacho inutilia, & vrinam mouere: atque se inuenisse apud authores, quòd si quis matutino rosida aliquot cerala cum suis nucleis deuorarit, ei aluus in tantum leuatur, vt pedes podagræ morbo liberentur: Ioan. Bruyer lib. 11. de re cibaria cap. 8. & Ant. Miz. in horto medico. Oleû de cerafis arthritico dolori mirè confert. Sed efficacius est quod ex nucleis cerasi syluestris paratur: Mes. itè Euonymus ex Furnerio.

Cerefolij, siue gingidij quorundam, herbæ decoctum ex vino potum, dolores coxendicum mitigare perhibetur: idque (sed respectu causæ cuiusdam occultæ & singularis) haud falsò. Quando enim calculus renum solutus, per meatus vrinarios erumpit, dolores excitat: qui non solum in coxendices, sed & intestinum rectum redundant: eo effectu, vt æger aluum solui putans, ad defæsum (sed frustra, cum calculi egressus talem quendam sensum efficiat) sese componat. In hoc itaque casu, decoctum herbæ & radicis potum, successu præsen-

*Ischiadisi  
ci doloris  
causa à  
pauca ob  
seruata.*

taneo calculos in vesicam propellit: quo facto, in momento dolor lumborum & coxendicū cessat: Turneif. lib. 1. botanologici cap. 28.

Ceruini cornu mucilaginem quidam affectis membris imponunt, coquunt autem limaturam cornu in vino vel alio humore accommodo: atque eandem Reinerus Solenander vtilissimè admisceri scribit consiliorum suorum vigesimo. Vide Ossa. Contra omnem guttam (ita nominant arthritin) siue calidam, siue frigidam, accipe cornu cerui, & aufer exteriora, & spongiosa interiora, id est, quasi in medio incide minutim, & in olla rudī terrea (figlinam vitreatam præfero) infunde olei communis, vel nucis, vnciam semis, postea imple totam ollam vino albo, & bulliat vna die integra. Et si vinum consumptum fuerit, affunde aliud & bulliat, & deinde permitte residere, & pingue supernatans colligatur & reseruetur, coque locus patiens inungatur, posteaque pelle tenui cooperiatur. Præstantissimum medicamentum esse experientis: Constantinus, & Rogerius in rosa Anglicana. Sal qui inter distillandum sanguinem ceruinum lateribus vasis adhærescit, cum oleo abluatur, & vitro conditur: singulare autem in podagra discutienda remedium est: Andernacus.

Chamæcissi folia bibunt convenientissimè ischiadici tribus obolis in aquæ cyathis tribus, tricenis quadragesimæ diebus: Diosc. Chamæcissi flos cum sit admodum amarus, iecur obstructione liberat, daturque ex coxendice laborantibus: Gal. & Paul.

Chamæ-

Chamædryos decoctum in potu sumptum podagricis & arthriticis auxilio est: Diosc. in eup. Chamædryos herba contusa, & cum melle potui per triduum data, confestim medetur coxarum dolori: Marc. emp. Chamædryos herba cocta, ac triduo potui data, ilchiadicos mirificè sanat: L. Apuleius. Ad podagram chamædryos herba in puluere in tenuissimum redacta, & cū aqua calida potui data, mirificè paregoriam, id est lenitionē & mitigationem, præstat: idem. Chamædryn herbam in vino albo coctam, sexagintaque diebus continuis manè tribus horis ante prandium inde haustū mediocrem bibitum, magnis laudibus quidam contra podagram prodelle aiunt. Hocque medicamentum Genuenses Carolo quinto imperatori cōmendarunt: Vide Vesalium in fine lib. de decocto chynę. Matth. hæc eadem in herbario Germanico adducit: miror in Latinis commentarijs cur omiserit. Chamædryos quidem Gal. & Diosc. autotibus urinas prouocat: atque Rasis diuretica in tantum podagricis conferre dicit, quòd vsus eorum faciat hominem iacentem à lecto surgere: quod nimirum ratione diuersionis fit.

*Diureticorum in arthriticis vsus.*

Chamæleontis caput, & pedes ipsius, extremaque pedū vel genuum præscidito: & quæ ex dextro pede habentur, seorsim seruato, & rursus à sinistro pede extrema similiter præscidito, seruatoque & ipsa priuatim. ac vbi duos digitos dextræ manus impresseris, pollicem & annularem vngue chamæleontis, similiter & sinistrae manus secundū digitum notaueris, vngue chamæleontis, inquit

nans sanguine digitorum dextræ manus extrema, dextra chamæleonis, sinistra autem manus sanguine, sinistra animantis extrema: in exiguum canalem includito, ac gestato dextra quidem animantis extrema dextro pede, sinistra autem sinistro, usque dum æger curatus fuerit. At chamæleontem præcis extremis adhuc uiuentem panniculo lineo puro inuolutum attingito, ad Solis exitum. Sin autem contingat manus quoque prædicto affectu cruciari, attingito etiam manus, ac in exiguos canales indito, curabisque ipsas: facito autem hoc Luna desinente: Alex. Trall. inter physica podagræ remedia.

Chamæmelon, vulgò camomilla. Ego in podagra phlegmatica iuncturas dolentes ex oleo camomillæ perungere singularissimum inueni: vel cum epithemate ex floribus camomillæ decoctione facto: Guain. Optimum est eos decoqui in vino. Oleum camomillæ nervos fouet, emollit materias, lenit dolores, non attrahit: Montanus in consilio quodam pro ischiadico centuriæ secundæ Venetijs impressæ pag. 411. Anthemis, quæ & chamæmelon dicitur, valde calidos dolores & inflammationes maximopere ex natura sua iuuat, statim post vigorem adhibita. Etenim cutem rarefacit & attenuat moderatè, & biliosos humores transpirare facit, adeò vt huiusmodi inflammationes, etiam sola, nihil ex attenuatorijs & incisorijs admixtum habens, curet: Aëcius lib. 12. cap. 42.

Chamæpityos folia quadraginta diebus ex hydromelite, ischiadicos sanant: Dios. Sunt qui chamæpitya



mapityn exhibent decoctam in melicratoijs qui  
 coxendicis doloribus torquentur : Gal. Chamæ-  
 pitystrita & in catapotijs data pituitam euacuat  
 autore Paulo. Conueniant autem summopere pi-  
 tuitam educentia coxendicum morbo laboranti-  
 bus, vbi articulus submucosus aut pituitosus fue-  
 rit. Hinc vtilissimè in omni articulorum dolore  
 exhiberi sequentes pilulæ perhibentur: ℞. iuā,  
 (ita namque vulgò dicitur) puluerizatæ drachmā  
 vnā, terebinthinę lotæ q. s. fiant pilulæ. Quidā her-  
 modactylos addunt: Lob. in stir. animaduers. pag.  
 108. Chamæpitys in paralyfim & ischiadem, quo  
 voles modo sumpta & admota, est efficacissima  
 multorum experientia: Syluius in meth. cur. cap.  
 de paral. Chamæpitys herba contrita ex vino po-  
 tui data ad coxarum dolores plurimùm prodest:  
 Marc. emp. Chamæpityos quam iuam vocant,  
 pugillus, in vino coctæ, si ex vino locus dolens la-  
 uetur, & herba ipsa calida superligetur, ad dolores  
 articulorum antiquos efficacissimū est remedium:  
 Manardus lib. 7. epist. 4.

Chelidonij succus sale mixtus cum aceto poda-  
 gricis doloribus à frigidis humoribus ortis succur-  
 rit: Q. Ser. Sam.

Cicer. Dicitur de ciceribus, si quis podagricus  
 cicera nigra coxerit, donec dissoluta fuerint, cum-  
 que pari mellis despumati mensura admiscuerit,  
 & tres dies continuos singulis diebus librā vnā  
 sumpsit, multum iuuari: Sim. Sethi. Ad frigidam  
 podagram quæ sine tumore est, conficitur cata-  
 plasma sic: Ciceris nigri moliti sextarius coquitur

ex aqua & diligenter teritur, cui adijcitur axungia  
pauillum, & dum calet medicamentum pedibus  
imponitur: Marc. emp.

Ciconia. Acopon multa experientia cognitum,  
inueterata etiam podagrae accommodatum. Ster-  
cotis ciconiae quadrantem, cum pari axungia tri-  
tam illinito. Vtere, neque cuiquam patefacito.  
Multos enim seruauit: Aëtius. Idem à Nic. Myr.  
sect. 10. num. 58. praescribitur, hisce verbis: Em-  
plastrum ciconiae omnino podagricos sanans ha-  
bet stercoris ciconiae, adipis suilli veteris, singulo-  
rum seilibram. Fimum ciconiarum, sed de nido ipso  
dum ciconiae pullos habent, fumes, & cum axun-  
gia vetustissima permiscebis & conteres, atque  
emplastri modo pedibus appones, efficaciter po-  
dagram sanabis: Mar. emp. Ciconiae stercus cum  
adipe porci mixtum curat podagricos: & si quadra-  
ginta annis passus fuerint, superponatur vel vngat-  
ur: Isaac lib. 8. pract. cap. vlt. Ciconia assa elixave  
si semel anno edatur, vere incipiente, innocuum  
& illa sum seruabit, quod ad neruos & articulos,  
cum qui comederit. Fugient enim ab eo podagra,  
chiragra, gonagra, ischias, arthritus, spasmus, & quae  
cunque neruorum & articulorum passiones sunt.  
Ciconiae etiam viae neruos de pedibus, cruribus,  
& alis aufer: qui podagricos & chirurgicos, simi-  
les similibus alligati, sanant: Hæc Kiranides. Alex.  
Trall. medicamentum naturale ad fistulam pedum,  
admodum celebre, & à multis comprobatum, at-  
que ex neruis onagri, & apri, & ciconiae, vel saltem  
ciconiae

ciconiæ neruis constans, describit lib. 11. in quo de podagra agit. Vide Onager.

Cicuta cum lithargyrio aut axungia podagras refrigerat: Plinius. Cicutam quidam in aqua decoquunt, & de ea cum mulieris lacte mixta iuncturas dolentes emplastrant: alij cicutæ radices in pasta decoquunt, ex quibus contritis iuncturas emplastrant: Guain. inter narcotica arthreticorum dolorum medicamenta. Radix cicutæ ponatur in pasta, vel radices plures, postea scindantur per mediũ & ponantur super arthreticam. Certissimum esse remedium dicit Alguasinus, & circuminstans: & ego sæpius expertus sum: Rosæ Anglicæ autor. Homo quidam indoctus in podagra calida imponebat petias immerfas in succo cicutæ, & mirabiliter sedabantur dolores: & hoc quidam alius multoties se vidisse affirmat. Idem etiam cum aqua distillationis ipsius herbæ faciebat. De narcoticorũ stupefacientiũve medicamentorum tuto vlu, inferius cùm de opio scribam, dicturus sum.

Cinerem feruentem vel prunas potius aliqui in vase ligneo ponunt, ad dimidium replentes, reliquum eius implent cum artemisia tantũ, vel etiam chamæmalo: deinde superilligato linteo imponunt parti affectæ. Conuenit partibus refrigeratis & arthreticis: Euonymus. Anus quædam in dolore ischiadico à materia frigida orto simili modo cinerem feruentem modico maluatico vino aspersum parti dolenti imponebat, ac mirabiliter conferebat: sudorem autem prouocabat.

Citonia in aceto cocta cum farina hordei im-

posita, podagra calidæ cõferunt: Isaac lib. 8. præct. cum farina hordei & confuso citonio emplastrum facias ad repellendam materiam in principio, præmissis necessarijs euacuationibus: Guain. Quidam cotonea mala frequenter comesta dolores iuncturarum generare affirmant: quare tutius fuerit diacydonite simplici ad corroborandum ventriculum vesci. Sed de hac re alibi dicemus. Melitites vinum prodest arthriticis: Diosc. & Actuarius.

Citriorum malorum pars non apta cibo (*ἀσπαρτος*) cum polenta magnopere arthriticis doloribus subuenit: Aretæus. Ex eorum numero quæ faciliè parantur, quæque doloribus non valde magnis profunt, mali medicæ ramuli sunt. Quin & fructus ipsius medulla sapore acris, pani aut pollini ammixa in cataplasmatis commodissima est. Quemadmodum etiam si oleo coquatur, & cera sufficienti ad oleum adiecta pedibus imponatur: Aëtius. Ad calidam podagram bene faciunt mala citria quàm maximè cocta, ex sextarijs aceti tribus, donec madida fiant: quibus tritis adijcitur aluminis fissi p<sup>o</sup>. vncia, myrrhæ p<sup>o</sup>. sextans: Scribonius Largus, & Mar. emp. Oleum ex seminibus citri & arantij, dolori arthritico, & succedenti tumori confert: Mesue. Oleum de pomis citreis vel arantij ad iuncturarum dolorem confert: idem. Citrij exteriorem corticẽ tumoribus citra dolorẽ in durioribus corporibus imponit Aët. lib. 12.

Coccus gnidius cum myrrha & aceto tritus arthriticorum tophos illis appositus, quasi miraculo absumit: Ant. Miz. cent. 2. aph. 77. memorab.

Cochleæ

Cochleæ crudæ cum tegumentis impositæ podagricas inflammationes leniunt: Diosc. Cochleæ quæ vstionem non sunt expertæ, si tritæ vnà cum testis imponantur, in arthriticis articulorum tumoribus, ægrè quidem diuelli poterunt, cæterum impensè desiccant. Et sanè in hæere sinere oportet, quoad sponte decidunt: Gal. Cochleæ non vstæ totæ tritæ & impositæ articulis in arthriticis, donec sua sponte deciderint, vtilis sunt. Et in summa humorem in profundo fortiter resiccant: Paulus. Cochleæ vnà cum testis tritæ, & sine alterius rei admixtione, & caprino stercore cum aceto trito amixto impositæ, tumores laxos & molles destruunt, & adstringunt, qui sanè ex lentis & crassis humoribus oboriuntur: Aëtius. Quidam limaces viuas accipiunt, & in cooperto vase cum sale reponunt, & quam faciunt spumam ad resoluendâ materiam paulò calidiorem referuant: Guain. *Oleum de limacibus ad dolores membrorum & artuum, etiam internos & latentes, quacunque ex causâ vt arthritide vel venerea lue,* Gesnerus fol. 294. lib. de aquat. describit his verbis: Cochleas albas quæ per arbores scandunt, centum in pila contunde, & impone in saccum, lögum ferè à imidium brachij, latum quadrantem. Sed salis manipulum plenum infra supraque cochleas simul in di oportet. Suspè de loco calido, & quod effluerit oleum collige, eo que perunge partes affectas & dolentes. Hucusque Ges. Cochleæ Aphricanæ cum sua carne combustæ, cinisque earum ex vino illitus medetur podagræ: Mar. emp, Plinius ischiadicis cochleas cru-

das tritas cum vino Aminæo & pipere potu prodesse scribit: atque idem remedium Q. Ser. Samonicus commendat dicens, *conueniet*

*Aut in Aminæo cochleas haurire Lyæo.*

Cochleæ late potè tollere dicuntur pedum & articulorum dolores. Bibuntur autem binæ in vino tritæ. Eadem illinuntur cum helxines herbæ succo. Quidam ex aceto intriuisse contenti sunt: rursus Plinius.

Colocynthidos pilæ arefactæ teruntur, & infusè clysteribus profunt coxendicū doloribus: Dios. Colocynthidos vis efficax est ad omnes frigidos articulorū dolores, præsertim podagricos & ischiadicos: ad quæ non modò in catapotijs deuoratur, sed etiam clysteribus infunditur: Mesue. Ex colocynthide purgatiuâ ad ischiadicos lege apud Aëtium sub fine cap. 1. lib. 12. Virentis succo utilissimè ischiadici perfricantur: Diosc. Gal. Paulus.

Columbarum fimo ischiadici, & podagrici in quibus tophi nondum constiterint, Gal. autore, iuuantur. Stercus columbinum vel per se, vel cum ouo tritū, dolentibus articulis prodest. Mar. emp. Columbinum stercus cum vino coctum ischiadicis emplastri modo cauterizandi causâ imponit Guain. atque Gal. etiam eodem cum nasturtij semine tuso incretoque arido pro sinapi in ijs quæ phænigmo (rubificatione) vsus est. Columbinæ pennæ maximè primùm nascentes vsæ cum vrtica, atque impolitæ, podagræ dolores leuant: Mar. emp.

Conyze folia in podagra à pituita proueniens  
teim.

te imposta conferunt cū mediocris dolor est: Alex. Trall. & Paulus. Ad dolorem pedum expertum bonum. Conyze herbæ, melislophylli, singularum vncia vna. Tula imposito: Alex. Myreps. sect. 3. 8. num. 167.

Corallium super infirmum pedem aut quoduis arthriticum membrum ligatum, sedare dolorem, & à podagra securos reddere, referunt: Guain.

Corisemenischiadicis ex vino potum auxilio est: Diosc.

Coronopodium, Alex. Trall. purgationem ex coronopodio, meliorem esse dicit ea quæ fit ex hermodactylo, vt quæ eandem euacuationem & doloris sedationem efficiat, cum hoc quòd neque stomacho incommoda sit. Eadem affirmat Paul. lib. 3. cap. de arthritide: diuersam autem compositionem à Trall. lib. 7. cap. 5. describit. Sed cū diuersæ sint sententiæ quænam herba vera coronopus sit, alijs purgantibus cum Guain. vtendum consulo.

Corui seuum singulare quid est ad ischiadicum dolorem mitigandum & materiam discutiendam: Guain. Coruus viuus sepultus in fimo equino, & per dies quadraginta putrefactus, deinde combustus, & in ceroti formam reductus, podagricos sanat perfectè: Kiranides.

Cos. Quod ex cote naxia ex ferri affricu deterritur, & in ea congregatur, illitum inflammationes non ita validum dolorem inferentes sæpe iuuat: Aëtius lib. 12. Cū ferrum cotibus aquarijs redditur acutum, id quod vtrinque deterritur, refrigerat,

quare illitum podagricis prodest: Georg. Agricola de natura fossilium.

Costus coxendicū morbo laborantibus conducit cū oleo affrictus: est aut plurimæ acris ac calidæ qualitatis particeps. Vnde vbi aut calfacere partē aliquam propositum est, aut humorem aliquem ex profundo ad superficiem trahere, ad costum de fugiunt: Gal. Paul. Aët. Costo ischiadicos vtiliter perfricamus: Oribas. 9. synopseos.

Cotyledonis radix si gestetur, articulatorū dolores curat: Alex. Trall. inter physica podagra remedia.

Cratægoni species, podagras collectionesque omnes leniunt: Plinius lib. 27. cap. 8.

Crocodili vtriusque corpus, excepto capite pedibusque, elixum manditur ischiadicis: Plinius lib. 28. cap. 8. Crocodilus terrestris præcis summis partibus, egestis que interaneis, ex iure coctus, cibari dati, magnum ischiadicis præstat auxilium: Marc. emp. Hoc verò Cæl. Aurel. de scinco scripsit. Vide lacerta.

Crocus si cum opio & lacte, & rosaceo, podagricis adhibeatur, summo prodest, superpositis betæ folijs: Sim. Sethi. Pharmacū ex croco podagricis inflammationibus conuenientissimū Aët. lib. 12. cap. 26. describit, plurimumque commendat.

Cucumeris caro per se, & cum pane imposita, inflammationes articularum ignem sacrum referentes manifestè mitigat: Paulus.

Cucumeris sylvestris radix decocta ex aceto, & illita, podagras discutit, ischiadicis aut infunditur: Diosc.



Diosc. & Plinius. Supra opinionē ischiadicis cōmo-  
dat cucumeris syluestris radix in tenues partes cō-  
cisa, deinde paululū cocta, atq; decocto eius cum  
solo melle infuso, citra omnē mordacitatē euacuat  
affligentē humorem: Aëtius lib. 12. cap. 1. Poteris  
aut hoc etiā in exacerbationibus uti: cap. 4. eiusdē  
lib. Cucumeris syluestris radices in olei cibarij  
pōdo tribus decoques ad tertias, & exinde neruos  
dolentes, & podagram perunges, sanabuntur: L.  
Apuleius. Oleum cucumeris asinini multum va-  
let ad podagram frigidam in principio: Simon de  
Louicz. Radicem eius duris tumoribus post inflam-  
mationem relictis imponit Aëtius. Cucumeris syl-  
uestris (ipse elaterium vocat) radix in aceto cocta  
podagræ pituitosæ prodest: Isaac.

Cucurbitæ ramenta podagræ inflammationes  
refrigerant: Diosc. Recentes podagras refrigerat  
ramenti corticis eiusdem Plinius. Cucurbitæ re-  
centis cortex impositus inflammationes articu-  
lorum ignem sacrum referentes manifestè miti-  
gat: Paul. Cucurbitæ semine contrito in ficulneo  
vasculo, adiecto oleo & aceto, coxæ & lumbi per-  
fricati, potenter sanantur, sicut experimenta do-  
cuerunt: Marc. emp.

Cuminum. Si in decocto cimini immersa petia  
dolori arthretico superponatur, sedabitur: Arnol-  
dus de villa noua in breuiario practicæ.

Cumini syluestris genus alterum quod vulgò  
consolidam regalem vocant, auxiliatur ischiadi-  
cis: Matth. Puto ego vel decoctum herbæ, vel a-  
quam distillatam bibere, vtile fore: Dantur enim

vinciæ duæ in potu calculosis, & suppressæ vrinæ: quin etiam sedem mouere creditur.

Cuminum Thebaicum (quod recens experientia est deprehensum) in butyro verno frixum, atque aded vstulatum, dum adhuc calet si imponatur, traditur aduersus dolores podagricos magnificè opitulari. Turneisserus lib. i. botanol. cap. 22.

Cupressi folia trita cum duabus partibus panis mollis, & è vino Aminæo subacta pedum ac neruorum dolores sedant: Plinius. Q. Ser. Sam.

--- *Si corruptus per se derit alius humor,*

*Trita cupressus ibi Baccho iungatur acerbo,*

*Panibus & teneris cohibet super addita questus.*

Folia cupressi trita, cum panis mollis partibus duabus, & axungia vetere subacta, medentur doloribus podagræ: Marc. em. Optimum cataplasma podagricum & hoc est. Cupressi virgulta teneriora & pilulas in ollam coniecta, cum aqua marina donec flaccescant coquito. Deinde in mortarium culinariu transumpta, ad cerati formam redigito: & linteolo excepta, dolentibus locis imposito. Hoc cataplasmate quotidie ante somnum vtilior, etiam si non adsit dolor, per integrum annum. Nam perfectè ægrum sanat. Mirificè etiam facit cupressi decoctum, si ex eo æger sæpe perfundatur: Aëtius. Aptæ sunt podagræ pituitosæ in principio cupressi folia & pilulæ vino cocta: idem. Remedium pægoricum ad podagram sic: Cupressi baccas virides quot volueris decoque ex aqua marina, donec molles fiant: deinde contunde in pila, & subinde aquam asperge, & manibus subige vt tanquam

tanquam malagma sit: inde inter initia doloris impone, statim mitigabitur dolor: Marc. emp. Cupressi pilulæ virides cum vino coctæ cicerum & lupinorum farinis & suillo adipe ammixtis, quandoque verò & lauri ramuli, & rubi folia, & similia admiscuntur, vnà cū hoc quòd tumores exoluunt, etiam fluxiones naturæ suæ aptitudine repellunt: Aëtius. Mirificū podagræ remedium nec impendio sumptuosum sic: Cupressi pilulæ duodecim, pastinacæ minimæ totidem decoquantur cū thuris triti vncijs tribus, olei sextario, aquæ hemina, axungie veteris vncijs sex, & ceræ tantundem, quæ inspissata & conglutinata panno illita pedibus apponuntur: Marc.

Cyclaminus etiam exhibenda est à flauæ bilis influxu podagra infestatis. Huius enim radix quæ tenuissimè trita cum aqua mulla aut passo potabiliosum humorem per sudores excludit. Dandæ autem ex ea drachmæ quatuor corporibus magnis & robustis, reliquis verò pro vitium tolerantia. Aduuare verò oportet sudorum exclusionem corpus calefaciendo & fricando, ita tamē ne affectos locos contingamus: Aëtius. Cyclamini primi radicis decocto podagras foueri congruum est: Diosc. & Plinius. Cyclaminus vsta trita cum aceto mixta, coxendicum dolores placat: Ant. Fumell. Ichiadis doli summè conferens radix cyclamini appensa collo laborantis: Nic. Myr. de hieris num. 3. Cyclamini radicem tumoribus duris post inflammationem relictis Aëtius imponit. Cynarum radicis decoctum podagræ, chiragræ,

arthriti, coxendicum doloribus prodesse: eo quod  
vtriusque rationem copiosè Amatus Lusitanus scri-  
psit curationibus. 90. cent. prima, 3 1. cent. secun-  
da, epistola Ambrosij Nicandri cent. 4. præfixa.

**D**Aucorum (caroras vulgus vocat) semen qui-  
dam peculiari quadam proprietate crurum  
doloribus prodesse existimant: Sim. Sethi. Diure-  
ticum quidem est.

**E**Buli semen per diutinas aquæ lotiones à nigro  
circumstante succo expurgatum, datur vili-  
ter drachmæ pondere ex chamæpityos decocto,  
podagricis, ischiadicis, &c. mulcet enim deiecto-  
ria vi mirificè eorum dolores, cum humores eò  
fluentes tum reuocet, tum deiciat. Sunt qui ex e-  
buli radicibus succum eliciant, insolentque subin-  
de, & in pastillos digerant, seruentque ad vsus. Hic  
clystere infusus tam intestinorum, quam coxen-  
dicum dolores tollit à frigiditate & flatu genitos:  
crassam namque pituitam ad articulos decurren-  
tem extrahit: Matth. Ad podagram pro pauperi-  
bus, etsi pauperes ea rarè laborent. Sumentur  
baccæ, acinive ebuli, & succo expresso exiccantur  
femina, teranturque, & pulueris drachma vna po-  
tui propinetur: succo verò membra liniuntur af-  
fecta: Ant. Fumanel. Ebuli folia cum vino cocta,  
arthriticorum cruciatus valdè mitigant, si dolenti  
loco admoueantur. Sunt qui præferant, & miris  
laudibus extollant succum expressum ex folijs ra-  
dicibusque eiusdem, coctis in vino, & butyro mensis  
Maij exceptum, ac vice linimenti affecto membro  
idètidem inunctum, nimirum ter, quaterve in die.

Ab

ARTICVLORVM DOLORES. 51

Ab experto hæc didici: Ant. Miz. in memor. Oleū ex femine & granis ebusi præstantissimum ad dolores arthriticos facere docet VVckerus in antidot. pag. 416. 419.

Elichrysi coma è vino pota contra coxendicum dolores opitulatur: Diosc. & Paulus.

Equini cruris medulla in omni tumore duro, omni duritie, & nodis iuxta lentum mediocrémve ignem illita, plurimùm certissimè experimento prodest: statim imbibitur & penetrat. Scythæ, hodie Tartari dicti, ventri equi interfecti exenterati, & adhuc dum calentis, sese ad dolores omnes, maximè autem arthreticos & luis venereæ mitigandos imponunt, eoq̃ remedio felicissimè curantur. Atque constat strenuissimum laudatissimumq̃ heroe'm ducem VVinnouecium, qui sapius cum summa sui nominis totiusq̃ gentis Ruthenicæ gloria, Scytharum turmas prostravit, fudit, occiditq̃, superioribus annis vtilissimè hoc remedio vsus fuisse. Vide Mula. Andernacus oleum ex maxillis equorum paratum, peculiare in doloribus podagricis sedandis remedium esse, scribit.

Erica. Quidam è recentibus ericæ (intellige vulgaris) floribus fomenta & balnea sudatoria faciunt podagricis membris: persuadent namque sibi hoc pacto inueteratos & viscosos humores, unde morbus articulorum oritur, dissolui & discutere. Tragus lib. 3. hist. plant. Erica, & præsertim flores, tumores & collectiones citra caloris alicuius incommodum digerunt, & per halitus dissipant: at-

que id tanta efficacia, vt quidam podagricis & paralyticis horum fotu medeantur, crassos & tenaces humores discutiendo: Groppius in Niloscopio.

Eruum. Post principium pituitosis conuenit ex cruo & lolio ac scenogreco cataplasma: Aërius. Eruum in quouis capitis dolore vitandum, quod etiam articulos dissoluit: Gal. lib. 1. de compos. med. sec. locos cap. 1.

Euphorbij succus coxarum doloribus prodest in odorifera portione haustus: Diosc. Pilula de euphorbio validæ sunt in articulorum affectis à pituita factis: Manardus in Mes. Sed hæ magna cautione à prudenti medico adhibita in vsum veniunt. Quamobrem vrgentibus malis medicamentum ex euphorbio Manardi, quod in Gallicis artuum tumoribus feliciter vsurpant, in catapotia malunt quidam, ex quorum numero est Anutius Fæsius, effingere, non improbando exemplo. Sed neque hoc nisi robustis corporibus, & valentissimis contumacibusque morbis exhibendū consulo. Describitur à Manardo epist. lib. 16. epist. 5. & in annotationibus in Mes. cap. de euph. Euphorbium purgat præter cætera (pituitam purgat, sed magis aquam: Paul. Aët. Act.) pituitam crassam & lentam quantumuis impactam etiam à neruis & iuncturis remotis & profundis sumptum, sed emendatum: Mes. Vnguentum ex euphorbio barbaricum ad ischiadicos describit Nicol. Myr. sect. 3. num. 13. Noui, ait Trall. ipsum quoque euphorbium vnà cum oleo & cera incoctum, etiam maguos

gnos dolores à frigido humore natos mitigasse. At mirari non debemus, quòd euphorbium, cùm sit adèd calidum & rodens, commendemus, tâquam dolores lenire possit. Sunt enim nonnulli cruciatus, qui immutari nequeunt, nisi aliquod acrius ipsis admoueas. Itaque ratio neque horum quicquam miratur, neque vtentes damnat. Quemadmodum nec, cùm videt contraria quædam ex dulcibus aquis in vehementi defluxione adhiberi, sed considerat nimirum, & discernit probè, methodicè quæ admittitur. Vt enim ex tenui, rodenti & acri humore dolentibus balnea iure profuerunt, (partim enim discusserunt, partim etiam ad bonâ temperiem redegerunt) ita rursus frigidorum humorû defluxiones expertis, qui articulorum membranas dolere dicant, & distendi, meritò vsus eorum quæ cutem calefaciunt, rodunt, & vellicant, profecit. Ego verò non laudo huiusmodi medicamenta, cùm per se admouentur. Nocent enim maximè, etiam si lenire videantur, cùm nihil habeant, quod emolliat, extrahatque refrigeratos humores, & admodum infixos. Nam id quod tenue est solùm, per ea exhalat: crassum autem & terrestre relinquitur, vt quod manere, & articulis infigi, ac adherescere cõpellant. Præterea magis exiccant: & siccante ipsorum vi, atque calefactoria, quæ inest acribus omnibus, nimium assant. Quòd autem hoc euenit, nulli non constat: nam omnes solis adèd acribus medicamentis, quæ nihil habent emolliens, vsi, præsertim in initio, & cùm vrgeret copia, articulos nacti sunt ad motum difficiles: & post longum tempus

cò reuertentes, vt potuerint incedere. Consultius igitur est his solis non vti: aut eum qui vtitur, statim transire ad illa quæ diffundunt, emolliunt, incidunt, & in altum penetrant, vt articuli rursus veterem motum per hæc iterum possint recipere. Hæc Trall. apud quem plura de acrium medicamentorum in podagricis vsu legere poteris.

**F**aba vt medicamentum foris imposita desiccatur innoxie. In podagricis ea sæpenumero vsu sumus ex aqua decocta, & ita adipi suilla admista: Gal. & Aët. Faba mollita cum suis valvulis ex aceto cum melle diluto consersa & imposita, podagræ calidæ prodest, ducit enim sanguinem & dolorem leuat: Scrib. Larg. ex quo Marc. transcripsit. Facias emplastrum ex faba cum adipe porci decocta in podagra phlegmatica: Guain. Faba cum melle decocta ad genuum dolores facit: Ant. Fum. Sunt qui scribunt, si fabæ coquantur, pedibusque superimponantur, horum dolores abunde sanare: Sim. Sethi.

Ferri rubigo podagras illita leuat: Diosc. & Plinius. Ferri rubigo cum aceto & rosaceo prodest: item ferri scoria in aceto feruefacta & affusa: Diosc. in eup. Ferratæ aquæ dolores articulorum pellit: G. Agricola lib. de nat. foss.

Fici tam syluestris, quàm satiuæ succus podagricorum cataplasmatibus cum farina scenugreçi & aceto utilis est: Diosc. & Plinius.

*Si vero articulos tabes inimica per omnes*

*Hæserit, ex ficu betus ac melle ligabis: Q. S. Sam. Fici satiuæ, & syluestris quoq; grossi, triti & impositi,*



siti, tum soli, tum cum quadam farina & adipe, du-  
ros tumores qui post inflammationes relinquun-  
tur sedant: Aët.

Filiculæ (ita Latini polypodium vocant) quæ  
in fago sæpe nascitur, radices tunfæ in potione dan-  
tur cum vino, coxarum doloribus laboranti: Mar.  
emp. Polypodium bilem atram, & pituitam cras-  
sam lentamque purgat etiam à iuncturis, autore  
Mesue.

Filicis radices succus cum oleo roseo mistus, &  
inunctus, podagræ calidæ prodest: autor lib. de di-  
namidijs.

Flammulæ oleum quidam commendant ischia-  
dicis, articulorum iliumque doloribus, in quibus  
morbis aut calidum illud inungunt, aut clysteri-  
bus infundunt. Id autem præparant hoc modo.  
Flammulæ folia tenuissimè concisa in rosaceum  
imponūt, quod vitreum vas exceperit, ac inde per  
æstatem insolant obturato vase. Datur etiam in ci-  
bis hisce in orbis affectis, trium drachmarum pon-  
dere. Ego ex hac sæpius aquam elicui, demisso vi-  
treo organo in calentis aquæ balneo: quæ eadem  
qua herba ipsa, pollebat acrimonia. Hanc comper-  
tum est efficacissimam esse in morbis frigidissimis:  
Matth. in Diosc.

Fœniculi farina ex hydromelite decocta & im-  
posita chiragræ medetur: Mar. emp.

Fœnigræci farina in hydromelite decocta, addi-  
ta axungia, medetur podagræ, chiragræ, articulis:  
Plinius. Cataplasma Asclepiadæ, ischiadicis, poda-  
gricis, & articulorum morbis è vestigio auxilians.

Fœnumgræcum in fictile vas coniectum & posca sufficiente affusa per integram noctem macerato: manè verò ad ignem appositum donec solvatur coquito: deinde in mortario tritum, & sufficienti melle affuso calefactum, & linteolo exceptum ad affectos locos apponito, & fasciola adalligatum finito, idque per dies duos aut tres facito: Aëtius.

Formicæ. Axungiam porcinam cum ouisformicarum tere addendo de terra ipsarum cum modico salis communis, fiat emplastrum pro ischiadicis: Guain.

Fornacæ testæ podagricis profunt. Eiusdemque cum testa effectus terra fornacum: Diosc. Testæ ex fornacibus tritæ & cum aceto illitæ podagricos iuuant: Paulus.

Fraxininum oleum arthritidem frigidam reprimat: Rogerius. Emollit ac digerit.

Fucus marinus, lactucæ similis, qui conchylis substernitur, non podagræ modo medetur, sed omnibus articulorû morbis impositus, prius quàm exarefiat: Plinius. Fuci marini genera omnia vim habent refrigeratorem, non podagræ modò, sed etiam inflammationibus, in cataplasmatibus efficaciter vtilem: verùm ijs vti humidis conuenit, priusquam exarefiant: Diosc.

Fungi ischiadici historiam integram cum imagine Gesnero à me missam, spero Gasparum VVolffium cum alijs editurum.

**G**Agates podagricis medicaminibus additur: Diosc. Oleum ex gagate sacratum arthriticis commendat Mesue.

Ga-

Galeus. Ex galei glauci piscis hepate oleū conficitur quod dolores articularum leuat: Rondelctius.

Gallinaceus. Iuri è vetere gallinaceo aliqui incoquunt olus marinum, (καρμίσιν θαλασσίαις) mercurialem, cnicum, aut filiculam, quod prodest articularijs doloribus: Diosc. Ius gallorum purgat pituitam quidem cum turbith, & cnico, ob id confert arthriticis doloribus ex hac natis. Melancholiam verò cum epithymo & polypodio, & cum iisdem atque thymo, hyssopo, anetho, & sale gemmæ, arthriticis confert: Mesues. Mirabile remedium in arthritide à muliere quadam, & adhibetur in quouis loco vbi iuncturæ existunt. Gallina benè habitata quadrima, absinthio referta, coquatur in tribus fitulis aquæ ad duarum partium consumptionem: hinc æger vaporetur, bis quotidie donec liberetur, fricando semper ad inferiora: additiones ad practicam Varignanæ. Gallinarum fimus podagras lenit: Plin. Fimus gallinarum recēs appositus plurimum podagricos iuuat: Marc. emp. Gallinarum atque coturnicum caro à proprietate podagram efficit Apuleio teste: Guain. cap. 2.

Garum ischiadicis infunditur: Diosc. & Gal. Sui enim acrimonia humores coxendicem vexantes trahit, ac per intestina educit. De garo copiosè Gel. lib. de aquat. scribit.

Genista. Q. Ser. Sam.

*Populus alba dabit medicos de cortice potus,*

*Nec non est tenera gracili de fronde genista.*

Sed tanta inter genistam & spartium intercedit

similitudo tum facie, tum etiam viribus, vt quoque Plinius dubitauerit an genista sit, quam Græci spartium appellauere: atque veteres vires earundem mixtim tradiderint. Purgant per superna vehementer ellebori vice, citra periculum flores, & semina spartij quinis obolis in aqua mulla pota. Semē deiectionē mouet. Ramis in aqua maceratis, mox tuis, extractus succus ischiadicis auxiliatur, si cyathi modum ieiuni ebibant. Quidam marina aqua macerare malunt, & infundere ischiadicis clystere: strigmenta autem elicit cruenta: Diosc. Semen spartij purgat ellebori vice, drachma & dimidia pota in aqua mullæ cyathis quatuor ieiunis: Ramis similiter cum fronde in aceto maceratis pluribus diebus, & tuis, succum dant ischiadicis vtilem, cyathi vnus potu. Quidam aqua marina macerare volūt, & infundere clystere. Perunguntur eodem succo ischiadici addito oleo. Genista tusa cum axungia, genua dolentia sanat: hætenus Plinius. Genistæ virgulæ coxendicibus profunt: Sim. Sethi. Genista pituitam & materiam à iuncturis violenter purgat vomitu & deiectione. Vomitus cum floribus frequens, ischiadi & podagræ prodest. Corrigitur cū cordialibus & stomachicis. Datur præsertim flore, à drachinis duabus vsque ad quinque. Semine autem à drachmis duabus ad drachmas quatuor: Mesues. Textum Mes. corrumpit Matthiolus, cum quæ toti plantæ conueniunt, semini saltem attribuit. Semen genestę tunsum, & cum axungia subactum dolorib. geniculorū potēter adhibetur: Marc. emp. Gith, seu melanchium. Tere, & fac puluerem de gith,

gith, & vnge vbi dolor est, & superpone stagnum, & insuper stupam vnge de ipso puluere, & statim dolor recedet: author lib. de dinamidijs.

Gramineum vinū fit de radicibus iuuenib. graminis benè lotis. Vsus autē eius præcipuus est in eo, quòd bibitum statim mitigat dolores iuncturaru & podagricorum: conuertit etiam & deriuat materias morbi ad vias vrinæ: quoniam est diuretica temperata propter dulcedinem quæ est in ipsa: Arnol. de villa noua lib. de vino. Suffumigium factū ex decoctione graminis: simpliciter emplastratio cum eo & facellatio, aufert tumores in coxis & pedibus: Varignana.

Grias herba cum adipe vrsino contusa, & quasi malagmatis genus imposta, ischiadicos tertia die sanat: atque radix tusa & imposta, omnes dolores mirabiliter sedat: L. Apul. Quænam hæc herba sit, neminem hactenus qui indicauerit, noui.

Guaiacum lignum. Manard. lib. 16. epist. 3. & 4. consulens valetudini Cardinalis Campegij articularij, Laudo, inquit, & modum & vsum spumę decocti ligni sancti seu Indici ad loca dolentia. Efficacius tamen esse puto, oleum ex eodem ligno modo quem chymistæ per descensorium vocant, distillatum, inunctis videlicet ex eo locis dolentibus & tumidis. Soleo etiam ex ramentis ligni crudi, in nobilique aliquo vino decoctis, addito antiquo oleo, linimentum parare, quod dolentibus locis vtiliter illinitur. In nullo autem qui verè articulari morbo laboraret, ligni decocto vnquam vsi nos sumus: sed in doloribus tantū qui potius

membranam eam, quæ ossa complectitur aut musculos, quàm articulos ipsos affligunt: nec non in vlceribus quæ quandoque hocce dolores comitantur: eiusque vsum inuenimus præcipuum. Scio tamen aliquos eo in veris podagricis chiragricisque doloribus vsos, qui vel peius post hac, vel non melius habuerunt. Hæc omnia Manard. Nic. Massa lib. de morbo Gal. ca. 9. tract. 3. ligni decoctum, inquit, dolorè podagricum alleviat, & paroxysmum eius abbreviat, non tamen ex toto liberat. Hodie profectò ligni apud quosdam in quouis morbo, omnique temperamento frequentior quàm conueniat vsus est, nouique qui cum ipsis arthritidis hæreditarius morbus (ex horum numero optima, nobilissimaque profapia nata parens mea fuit) esset, plurimum ligni decocto offensos esse. Sed plures, qui tamen excellentissimi medicorum haberi (hodie sanè iustissimè Hippocrates sæpius sententiam qua dicebat, *ἰντροί φήμην μὲν πολλοί, ἔργω δὲ πείχου βαιοί*, repeteret.) velint, cum artis omnino imperiti sint, vel ignauia sua à necessarijs vtilibusque medicamentis excogitandis expendendisve impediuntur, vbiq; ad ligni, vel chynæ Salsæve radicum vsum, sicuti alij ad thermarum, vel cauteriorum, nonnulli etiam ad decantatum sibi antimonij vitrum, tanquam ad sacram anchoram confugiunt. Hæc autem non eo animo à me scribuntur, quòd vniuersim omnibus arthriticis ligni vsum inutilem esse existimem, sed magis, vt in posterum decoctum eius ægris exhibentes medici diligentius singula expendant, ne temeritate ipsorum nobilissimum

*Vide A-*  
*mat. Lus.*  
*in schol.*  
*curat.*  
*99. cent.*  
*l. c. c.*

me-

## ARTICVLORVM DOLORES. 61

medicamentum in contemptū veniat. Atque nisi plurimi doctissimi viri de ligni vsu diligentissimè & copiosissimè scripissent, ipsorumque libri in omnium medicinæ studiosorum manu essent, necessarium foret hîc pluribus immorari: nunc verò studiosum lectorem ad illos remitto.

Hedera. Oleum ex ligno, baccis, gummi, vel solis baccis hederæ præ omnibus oleis sanat arthriticum ex causâ frigida: Rogerius. Vnguentum ex hedera ad arthricos, mirabiliter etiam ischiadicis conferens describit Aëtius. Hederam & herbam fabinam æquis portionibus tritam ex vino austero ad modum auellanæ dari ischiadico ieiuno oportet per triduum: Marc. emp. Hedera contrita & cum oryza ac melle decocta atque in vnum permixta, & denuò trita, podagræ, chiragræ, & membrorum offensionibus medetur imposita: idem.

*Hederæ terrestris vulgò dictæ folia contusa podagricis quidâ imponunt, eiusdemque herbæ decocto fomentant artus affectos.*

Helenij folia ex vino cocta vtiliter ischiadicis ilinuntur: Diosc. Rubrificant helenij radices vi partes frigidis ac diuturnis vexatas affectibus, cuiusmodi sunt nonnullæ coxarum passiones, ischiadas vocant, & exiguæ assiduæque articularum quorûdam præ humiditate procidentia ac luxationes: Gal. Inulæ radix contusa, & ex vino austero postea cocta, & latè super coxam imposita, inter valentissima auxilia est: C. Celsus. Quidam enulæ campanæ folia in vino decocta emplastri modo in po-

dagra phlegmatica imponunt: Guain. Manar. oleū in quo radices enulæ bis vel ter permutatæ ebullierint, ad dolores articulorum antiquos efficacissimum esse tradit.

Heliotropij magni folia podagris vtilissimè illinuntur: Diosc. Heliotropium altius decoqui cum radice oportet, quæ cum folijs & hircino seuo podagris illinitur: Plinius.

Hepati piscis hepar tritum, & emplastri modo impositum, omnem tumorem & podagram sanat: Ges.

Herinacei terrestres viui oleo incocti ipsum diffusorium reddunt. Etenim oleum hoc dolores sedat, tum affectis articulis in ipsum demissis, tum etiam ipsdem ex eo illitis: Aët. Oleum præstantissimum ad morbos articulares hoc paratur modo. Erinaceus conueniente oleo & vino coquitur ad tabem vsque. Putrilago rariore linteo excepta magno conatu extringitur in ollam quæ oleum habet reliquum, & ei admiscetur, seruaturque ad illitis articulorum. Idem è vulpe, veteri caro & emasculato, ad hæc testudine, lutra & ranis, fieri potest. Quæ animalia si digerente materia infarciantur, & in veru ex assentur, pingui stillabunt, quod exceptum ipsdem proderit articulorum vitijs: Mizal. in memorab. ex Hollerij de materia chirurgica. Ericij caro à proprietate arthreticis conuenit, vt inquit Haliabbas: Guain.

Hermodactyli radix purgatoriam vim habet, tum ipsa, tum decoctum ipsius. Priuatim autem arthriticis in ipsius fluxionib. exhibetur. Stomacho multum



multum noxia est: Paulus. Quidam in ipsis exacerbationibus, in omnibus arthriticis, purgatione ex hermodactylo vtuntur. Verum attendendum est, quia stomacho incommodus est hermodactylus, & anxios ac ciborum inappetentes facit. In solis igitur his qui negotijs quæ differri non possunt, vtgentur, ipso vtendum est. Compendio enim & post duos vt plurimum dies sedat fluxionem, vt quis ad consuetas functiones obeundas transire possit. Noui autem quendam qui non ipsam hermodactyli substantiam exhibet, neque aliquod medicamentum ex ipso compositum, sed herbam ipsam coquit, cum aliquo ex consuetis pharmacis, velut aniso, aut apio, & decoctum bibendum præbet. Et mirum est quomodo per ventrem euacuat à fluxione liberantur. Oportet autem propterea quòd stomacho incommodus est, postea stomacho gratis & corroborantibus, cum moderata caliditate, osculum ventris corrigere: Idem. Herbx hieri bulbi, id est hermodactyli, accipito vncias sex, seui caprini tantundem, olei cyprini libram & vncias duas, in sepistis & commixtis vteris, dolorem articulorum tollit: L. Apul. Hermodactylus pituitam crassam, præsertim à iuncturis trahit, ob id podagræ, & alijs arthritidis differentijs confert, non sumptus modò, sed etiam cataplasmate admotus, præsertim cum vitellis ouorum, & farina hordei, vel mica panis: Mes. Hermod. confert podagræ, & sedat dolorem statim, more emplastri superimpositus. Et cum ex eo multoties fit emplastrum, indurata postema, & in lapideam naturam conuertit, &

est cōferens theriaca omnibus doloribus iunctur-  
 arum: Auicenna. Raz. lib. de ægrit. iunctura-  
 rum: zaurigen habet magnam virtutem in omni-  
 bus doloribus iuncturarū: sed destruit appetitum,  
 & deficcatur iuncturas cū in magna quantitate su-  
 mitur: & propterea si fuerit necesse de eo accipere  
 in magna quantitate, accipiat postea medicinas  
 confortantes stomachum. Quapropter semper  
 admiscemus anisum, mastichen, zingiber: & mol-  
 lificamus iuncturas cum aqua calida, & pinguedi-  
 nibus, & oleis. Nostris temporibus vniuersus ferè  
 medicorum cœtus ex quadam praua consuetudi-  
 ne, seu ab vsu ductus, nedum in articulorum dolo-  
 ribus, seu podagra ex pituita ortis, sed in omnibus  
 ex quacunque causa fuerint geniti, hermodactylis  
 alium purgatione sollicitant: quandoque etiam  
 catapotijs de hermodactylis à Mesue, seu à Raze  
 compositis vtuntur, verū ipse penitus abstinendū  
 esse contulo ab hermodactylorū vsu: nam quo  
 seplasiarij hodie pro hermodactylo vtuntur, non  
 est hermodactylus, sed bulbus quidam agrestis  
 à Græcis *καρχαρόν* appellatum, huic enim omnibus  
 numeris arridet, vt liquet ex Diosc. quod qui-  
 dem in cibo sumptum (vt ipse inquit) fungorum  
 modo enecat, si contingat ipsum exhibitum non  
 enecare, eius exiguæ quantitati, quæ offertur, ascri-  
 bendum erit: nec propterea negandum est quòd  
 suapte natura enecet, etsi non suffocat propter  
 eius exiguam quantitatem, saltem magnum infert  
 corporibus detrimentum, quemadmodum sapius  
 experientia etiam obseruatum est. At esto quod  
 sit

ARTICVLORVM DOLORIS. 65

fit hermodactylus (quod negatur) adhuc ab eo abstinendum erit, nisi valde robustis corporibus tribuetur: nam etiam verus hermod. stomacho facessit negotium, cibi fastidium ex repletione, & ventriculi redundantia mouens, cum eidem sit inimicus, & nimis aduersetur: quapropter reliquis vtendum est purgantibus medicamentis tanquam tutioribus existentibus: hermod. autem, seu eorum catapotia omnino vitanda: Donatus Ant. ab Altomari. Vide in coronopo & palma Christi.

Hirudines. Multi podagræ admittendas censuere: Plinius. Q. Ser. Sam. ad podagræ malū iam fixum

*Sunt quibus apposita siccatur hirudine sanguis.*  
Hirudines ischiadicis durante dolore, secundo vel tercio causa postulante apponit Cæl. Aur. chronicon lib. 5. Nouimus nos podagricum cui ad malleolum apposita sanguifuga profuit: Ges. Epithema pro cucurbitis & hirudinibus vtendum ad arthriticas & podagricas affectiones describit Gal. lib. 10. de compositione medicamentorum secundum locos.

Hirundinis sanguis illitus podagricos dolores mirifice lenit: Alex. Trall. inter physica pod. remedia. Vrticæ semen & hirundinis nidum cum sapa terito ac illinito: Aët. inter vnguenta podagrica, estque ordine 44.

Hordei farina podagricis inflammationibus cum cotoneis aut aceto prodest: Diosc. Cum magnus dolor vrget, non alienum est cataplasmatibus ex hordeacea vt, in quibus totum corpus recrementis vacat. Sint autem farinæ hordeaceæ partes duæ, se-

minis lini pars vna, immutetur frequentius: Alex. Trall. Hordeaceus panis prater id, quod ventriculo laborem inferat, frigidos lentosque succos generet, parū nutrit, flatūsque gignit: quanquam afferunt nonnulli podagricis hordeaceum panem peridoneum esse: Matth. Quidam eos, qui pane hordeaceo vtuntur, morbo pedum tentari negāt. Experimenti via facilis, quibus res est cum podagra. Aristoteles sanē eos qui panificium hordeaceū attrectant, corpora habere inualidiora & imbecilliora, opportunioraque distillationibus, in problematibus scriptum reliquit.

Hyēnas quidam in oleo coquunt, discussorium oleum conficientes. Deinde folia ex ipso cōplentes, & arthriticos in ipsa demittētes, & multo tempore immorari iubentes. Ex hoc autem contingit non solum tumores circa articulos, sed etiam totū corpus euacuari: Paul. Vide inferius vbi de vulpe dicitur. Podagricis prodesse magi tradunt, spinæ cinerem cum lingua & dextro pede vituli marini, addito felle taurino, omnia pariter cocta atque illita hyænx pelle. In eodem morbo prodesse & fel cum lapide Asio. Item carnes vel ossa hominis, si quæ in ventriculo occisæ hyænx inueniantur, suffitu podagricis auxiliari: Plin. Hyænx pelle facta calciamenta si quis in quotidiano vsu habuerit, efficaciter podagræ morbo carebit: Marc. emp.

Hyoscyami semen podagricis subuenit tritum ex vino illitum. Sed & ipsum, & folia omnibus dolorem sedantibus vtiliter admiscentur: Diosc. Herba symphoniaca (est hyoscyamus) alligata pedum dolorem

dolorem tollit, & tusa omnis cum sua radice, & super pedes imposita mirificè tumorem tollit, & dolorem pedum auferit: L. Ap. Hyosc. succus cum farina, vel semen podagræ medetur: Plinius. Quidam succum iusquiami cum axungia bulliunt, & cera addita vnguentum molle conficiunt: Guainerius. Psyllium, solanum, portulaca, semperuiuum, lenticula palustris, & altercum: Hæc sanè omnia per se laxigata, & præsertim viridia, dolores qui in accessionibus podagræ biliosa oriuntur, abunde lenire possunt: adhuc etiam magis, si paucis farinis hordeaceis vel vnum ex prædictis, vel duo admisceas. At ne siccescant, vtile est etiam rosaceum cataplasmati adijcere: Alex. Trall. Oleum ex seminibus hyosc. paratum eo modo quo rosaceū oleum, valet in arthritica calida, dolorem mediocriter reprimendo, & stuporem inducendo: Rogerius. Oleum hyoscyami agyrtarum doloribus sedandis accommodum, stupefaciendoque longè optimum præsentissimisque viribus præparare docet Lobelius in stirpium obser. pag. 140.

Hyperici semen quadraginta diebus haustum, ischiadicis medetur: Diosc. Hyp. datur coxendicū morbo laborantibus: Gal. & Paul. Seminis hyperici drachma vna pota in exacerbatione ischiadicorum auxiliatur: stercora educit, & pituitā: Aët. Antidotum ex hyperico per annum potatam, podagras, coxendicum morbum, & omnes iuncturarum & articulorum morbis implicatos sanantem, duritiesque instar topthorum in articulis per vim morbi coactas dissoluentem, idem describit.

**I**beris radices duas nasturtio similes habet, calfacientes & adurentes. Ipsę enim ischiadicis cum salsa axungia emplastri modo vtilis, quaternis horis alligatę, vt dein in balneas descendatur, & postea oleo cum lana locus perungatur: Diosc. Iberidis in ischiadicis vsus ex Democrate (cuius carmina apud Gal. lib. 10. de comp. med. legere poteris) libera oratione in hunc modum Aëtius descripsit: Iberidem, inquit, æstate maximè recentem effodito, (arida namque vires amittit) & diligenter tundito: tunditur autem difficulter, & axungia veteri modica excipito, ac iuncturę coxę, & vniuerso cruri imponito, adalligato, ac incumbere finito, mulieribus quidem non infra duas horas, viris autem per quatuor horarum spatium, si possibile sit id perferre. Excitat tumores cum ardore & rubore, veluti sinapis mus facere solet: post verò in balneū inducito, nullo vnguento aut sinegmate eis illito. Vbi verò modicū exudauerint, in soliu ob feruorem mordacius desiderare iubeto, idque fortiter perferre cogito: morsum enim cū ardore in principio inferre consuevit: deinde educito. Fermè enim semper, quamuis ab alijs fuerint importati, sua sponte pedibus ingredientibus, exhibunt. Verum à balneo ad oleum multum admodum paucū vino admisceto: & conquassata illinito, ac humore cum aspero panno deterfo, crus ipsum cum leuissimis lanis cooperito. Et sanè consuevit hoc ipsum præsidium nullo alio inde auxilio opus habere. Quod si tamè aliquando vestigium affectionis relinquatur, vicenis horis siue dieb. interpositis rursus eodem

dem præfidio vtaris. Atque hic quidem sinapi-  
smi est modus: Hæc Aët. atque eadem, sed breuius,  
Plinius. Ad ischiadas & perfrigerationes, Hygieni  
Hipparchi. Herbam iberidem, quam aliqui lepi-  
dium vocât, aut agriocardamum, id est, nasturtium  
syluestre, colligito, & radicem eius tusam ac adipe  
porcino commollitam emplastri vice imposito  
ad dolentem locum ad horas tres, indeque in bal-  
neum immittito: Gal. eandem Archigenes ischia-  
dicis conuenire scriptum reliquit. Perteetè ischia-  
dicos restituit iberidis herbæ vsus, quam sanè et-  
iam lepidium, aliqui verò syluestre nasturtium ap-  
pellant. Quæ verò apud nos nascitur fruticosa, fo-  
lijs lauri similibus, & multò maioribus, multam de  
se experientiam dedit, non solum in coxendicuro,  
sed etiam alijs diuturnis morbis. Æstate autè mul-  
tò efficacior est. Si verò etiam folia tunc quum ex-  
petitur, non produxerit, radicis ipsius corticem  
contundere oportet cum adipe suillo, ad emplastri  
formam, deinde in linteum densum infarctâ, do-  
lentibus maximè locis imponere, aut circa totas  
nates & femur, & sinere donec nigrescat, aut om-  
nino liuida fiat summa cuticula: postea ipsum  
auferre, & loto hoc cerotum imponete. Opopa-  
naxis trientem, in aceti cyathis duobus dissolui-  
to, & cerato cyprino excipito: Paulus.

Ibicus simus. Incredibile & vnicum remedium  
ischiadicis & arthriticis, hoc est, quo & ipse Auso-  
nius medicus sanatus est, & multos ita iacentes, vt  
mouere se sine cruciatu nequirent, intra quinque  
dies stare, ambulare autem, intra septem dies fecit:

*Iberis du-  
plex Pauli.  
Lepidii  
Pauli &  
Plinii.*

Conficitur sic, Fimum ibicum Luna septima decima colliges, quanquam & alia Luna vetere collectum (virgente malo) simili efficacia pro fit, dummodo medicamentum septima decima Luna componatur. Ex eo ergo fimo quantum vnus manus pugno pleno potueris comprehendere, dummodo impar sit numerus pilularum, in mortarium mittes (conteres validissimè) atque adicies pipetis grana viginti quinque diligentissimè trita: tunc addes mellis optimi heminam, & vini veterrimi optimi sextarios duos: (aliàs sextarios quatuor, & conditi more miscebis potionem) & contritis prius pilulis vniuersa miscebis, & repones in vasculo vitreo, vt cum fuerit opus paratum habeas medicamentum ad subueniendum. Sed vt maior sit medicaminis efficacia, Luna septima decima id facere debetis: & cum daturus fueris remedium, à die Iouis incipe, & per dies septē cōtinuos dato, ita vt qui remediandus est, stans in scabello cōtra Orientem bibat. Quę potio, si ita vt scriptū est, data & obseruata fuerit, etiam si omnibus articulis & coxa infirmus contractusque fuerit, & immobilis ac desperatus iacuerit, necesse est vt septima die ambulet, itaque sanabitur, vt nunquam paribus doloribus implicetur: Marc. emp. cap. 2 §. Et rursus cap. 3 4. Inuictam potionem ad ischiadicis & arthriticis facientem, in titulo superiore de ischiadicis plenissimè scripsimus: sed quoniam tam diuinus eius effectus est, iterandam putauit, ne quis arthriticis remediarequirens huius signoratione fallatur. Fimus ergo ibicis in sylua vel in monte colligitur. Matth. etfi



etsi Marc. nō dixerit, quantū huiusce medicamenti quotidie sumere affectos oporteat, intelligendū tamen censeo, vt in septem æquales partes diuidi debeat, & vna quotidie sumi. Mihi hoc vnum superstitiosum ad arthricos remedium ex pluribus quę Marc. ponit, ob excellentem efficaciam quam ei tribuit, hic describere placuit: alia, si quis fortè ridiculis medicationibus delectatur, apud ipsum legere poterit.

Illic glandes quidam tundunt, & diu coquunt, & decocto hoc extremas articularum partes in fluxionis principio, ad multum tempus irrigant, interiores autem partes spongijs perfundūt, & statim materię impetum repellunt. Hoc non solūm ex pituita, sed etiā ex bile affectis conuenit: Paulus.

Imperatorię herbę & radicis decoctū ischiam & podagram curare fertur. Oleum radicis tartarū & viscolas iuncturarum & articularum ad crescentias resoluit & discutit: ideo quę contra podagram vsus efficacissimi habetur: sanat & ischiam: Turneif. lib. 1. botanologici, vbi oleum ex radice eliciendi rationem fidelissimè & syncerissimè docet.

Intybi syluestres illiti podagris auxilio sunt: Diosc. Serides omnes podagricis vtilis sunt: Plin. Intybi syluestris seu erratici (scariolas quidam Latine vocant: sawdistel, gensdistel) generum herbatura, & aqua distillata podagrę calidę vtiliter imponuntur: Tragus.

Ireos radicem decoctum ischiadicis infunditur: Diosc. Radicis ireos tritę drachma vna cum passo pota ischiadicis in exacerbatione auxiliatur: Aët.

Ireos radix ischiadi salubriter aut clystere inijcitur, aut emplastro imponitur: Mesues. Irinum oleum articulorum dolores sedat: idem. Iridis folia duris tumoribus post inflammationes relictis imponit Aët. Vide Capra.

Irionis semen coxendicibus in delinctu cum melle prodest: Diosc. Non puto hęc dissimulandum interpretationem Ruellij hoc in loco displicere. Græcus enim textus in hęc modum se habet: Εἰρήσιμον σπέρμα παρὰ μικρὰ καρδία παρὰ πλῆθισι, τρωάδη κατὰ πλεῖστα γέυσιν· ποιοῦντα πρὸς θώρακος ρευματισμὸν, ἐμπύου βήχας, ἰκτερον, ἰσχιάδας, ἐκλεγχόμενον σὺν μέλιτι. πίνεται καὶ πρὸς τὸ θανάσιμα φάρμακα. Hoc est, Irio habet semē exiguū nasturtij simile, vrentis gustus. Contra thoracis fluxiones efficax est, & si purulenta extulluntur: regio morbo, & coxendicibus prodest in delinctu cum melle. Bibitur & cōtra venena. Aëtius irionis semen cum vino potum ischiadicis in exacerbationibus auxiliari tradidit. Irionis semen articularijs morbis cum melle & fico illinitur: Plin.

Juglandes nuces immaturas integras cum gulioca aliqui distillant, vt aqua imponatur podagrę Gratarolus.

Iuniperi semen datur ischadicis cum vino albo potū pilulis quaternis, aut decoctis viginti in vino: Plin. Baccæ iuniperi ex vino potæ ischiadicis in exacerbatione auxiliantur: Aët. Vinum ad ischiadicis sic facito. De iunipero materiam semipedem crassam concidito minutim. Eam feruefacito cū congio vini veteris: vbi refrixerit, in lagenam confundito: & postea id vitior vini, cyathum manē ieiunis proderit: Cato de re rustica cap. 123. Oleum

etiam de lignis iuniperi factum articulorum doloribus prodest. Vide Euonymum. Paratur, inquit Matthioli, ex iuniperino ligno balneum admirabilis facultatis ad podagricos, hoc modo: Sumito ligni iuniperini, concisi lb. 12. coquito in aqua in cortina magna, quousque tertia tatum pars supersit. Deinde decoctum unam cum ligno in labrum proijcito. In hoc ubi descenderit æger, sedeat umbilicotenus, & membra languida foueat. Atqui hunc præpuratum esse oportet. Hoc enim balneo nonnullos podagricos in Boëmia vidimus in lectulo iacentes, perpetuoque dolore vexatos, qui aded reualuerunt, ut expeditiores facti, ad negotia redierint, quo quolibet ambulantes.

**L** Abruscæ herba ischiadicos vti prodest, tusa cum folijs, & illita cum succo suo: Plin. lib. 23. cap. 1. & 27. cap. 7.

Lac muliebre podagris vtile est, cum meconio, & cerato illitum: Diosc. Lac muliebre podagris iubent illini cum cicuta: Plin. Rasis in præseruatione à podagra lac in potu plurimum commendat. Guain. Qui podagræ ingentes dolores patitur, capram intra cubiculum suum apportare, ac ex ea lac supra membrum dolens, & malè affectum emungere curabat, quo dolores diminui & meliuscule se habere euidenter sentiebat: nec quidè iniuria, nam lac sic recens emulctum dolores demulcet, & mitigat, ac remittit: est autem remedium hoc Turcarum principibus commune & familiare satis, à te qui lucrum & honores quæris in pretio habendum: Amat. Luf. curat. 41. cent. 7. Vide panis.

Lacertam viridem in cibo, ablatis pedibus, interaneis, capite, ischiadicis prodesse dicunt: Plin. Idem scinco etiam, & crocodilo terrestri, & stellioni transmarino similiter in cibo sumptis attribuitur.

Lactucarum ex folijs quidam oleo rosaceo addito emplastrum pro podagra calida faciunt: Guainerius.

Lamij vrticæ folia addita mica salis podagris medentur: Plin.

Lappaginis succus expressus pondere vndecim denariorum in vini cyathis duobus quotidie sumitur podagricis: Plin.

Lasertij radix ischiadicis conuenit cum irinæ aut cyprino cerato: Diosc. Silphij radix cum panethophorum coactione prohibet: Paulus. Malagma ex silphio ischiadicis valde conferens describit Aët. Laser podagras in spongia dilutum posca lenit: atque coxendicibus cum decocto melle illinitur: Plin. Silphij liquor, & foliorum succus cum cibo sumptus podagricis & arthriticis prodest: Diosc. in eup. Succus Cyrenaicus exacerbationes ischiadicorum diffundit, erui magnitudine potatus, aut deuoratus: Aët. lib. 12. cap. 4.

Laurinum oleum contra ischiadem vtile est: Rogerius. Vide simplicem id conficiendi modum apud Euonymum.

Lens decocta cum polenta, & illita, podagras lenit: Diosc. & Plin. Lentis grana in aqua decocta & illita, podagras leniunt: Tragus.

Lens palustris conuenienter podagris illinitur per

per se, & cum polenta: Diosc. & Plin. Lenticula quę in aqua nascitur quàm tenerima, contusa, & antequam cubitum eat ei qui dolet pedes imposita, deinde interposito tempore sublata, & herba cuculus trita in reliquam partē noctis imposita, mirę dolores podagrę sedat: Marc. emp.

Leonis coriū si quis elaboret, & calceos gesser, pedes non dolebit: autor eup. Ad omnem articulum dolorem & tumorem vtile: ℞. adipis leonis ℥. j. cerę ij. olei lentiscini ℥. ij. liquefac, commisce, & vtere: Isaac lib. 8. pract. cap. 39. Ad nervorum & geniculorum dolorem, adipem leonis cum medulla ceruina, & lactuca teres & commisces, tum demum peranges corpus, sanabitur: Sextus Plat.

Leontopetali radix miscetur ischiadicorū clysteribus: Diosc.

Lepidij foliorum vis acris & exulcerans est, quapropter ischiadicis trita, præsentissimum est auxiliū, si cum helenij radice, quarta parte horę illinatur: Diosc. Vide supra vbi de iberide egimus. Ego omnino iberidem cuius radice, diuersam à lepidio, cuius folijs ad ischiadicorum dolores veteres vtebantur, herbam fuisse existimo. Sed de hoc alibi.

Leporis tali, si alligentur, articulares affectus admodum alleuiant: oportet autem leporem viuum relinquere: Alex. Trall. in physica med. podagrę. Podagras mitigari pede leporis abscisso, si quis secū assiduè habeat, quidā tradunt: Plinius cū prius dixisset, leporis pedes adalligatos articula-

rijs vitijs vtilissimum esse remedium. Viuo lepori pes amputatus & alligatus ad podagram, vel eius partibus quæ dolebunt, plurimum prodest. Marc. emp. Sanguis leporinus inunctus dolores podagra phlegmaticæ quodammodo mirabiliter sanat: Guain. Aduersus podagram vnge dolentem pedem leporino sanguine adhuc ex animali calente: Mizal. in mem. Leporis carnis ius siue decoctum podagricos & arthriticos iuuat, eadem ferè efficacia qua decoctum vulpis: Auicenna. Ex iure leporis locū in podagra phlegmatica embroca: & dehinc emplastrum ex damulæ carnibus superpone, mirabiliter valet: Guainerius. Ex stercore leporis cum vino distemperato emplastrum fiat pro ischiadicis: idem. Item, ex cinere leporis cum antiquo adipe quidam emplastrum pro podagra phlegmatica faciunt. Qui testiculum leporinū coctum ieiunus comederit, citò coxarum dolore releuabitur: Marc. emp. Qui podagram patiuntur, pedes imponunt iuculo leporis cocti, temperato calore relicto. Renes etiam leporini inueterati, pedibus alligati, podagram leuant: Olaus Magnus lib. 18. historiæ gentium Septentrionalium.

Lepore marino recentī podagram fricari iubēt, Plin.

Leucacanthæ radix ischiadicis prodest, decocto cyathis tribus ex vino potō. Idem præstat epotus radicis succus: Diosc.

Leucoij radices cum aceto illitæ podagricos iuuant: Diosc. podagram sedant: Plin. Nonnulli leucoij radicib. phlegmonas in articulis induratas curant:

rant: Gal. Dolori ischiadico radix violarum cum aceto cocta prodest: Isaac. Rasis & antiquorum aliiasserunt, quòd radix Keiri emplastrata petrificationem omnem remouet: Guain. Oleum leucii siue Keiri iuncturarum dolores sedat: Mes. In podagra phlegmatica præseruanda medicamentum nullum, vt Rasis inquit, melius est quàm Keiri, quoniam corpus sicut alia non desiccatur: & debent radicis ipsius Kirat sex cum aqua mellis pro vice sumi, de mense Octobris incipiendo, & continuari per dies 40. Guain. Ligustri folia siccata in umbra, tusaque ac cribrata, mox in aqua ad calidum cinerem cocta, modico rhoë culinario insperso, & aceti momento, bonum cataplasma præbet in podagricis & chiragricis, in ipsis maximis inflammationibus impositum. Nam & inflammationes sedat, & fluxiones repellit, & quod iam in locis continetur discutit per meatus occultos, quemadmodum per sudorem: Aët. lib. 1. Cypri hoc est ligustri folia viridia trita in pastillos digerito, vsus verò tempore aceto diluto illinito. Barbari autem Indiarida ipsa folia contusa & cribrata reponunt, vsu verò expetente aqua feruenti subigunt, modico etiam aceto adperso, aut rhois culinarij decocto, atque hoc modo inflammato loco imponunt, folijs ricini aut carpasi superstratis, aut si hæc haberi nequeant, brassicæ. Reperies autè manè cataplasma aqua plenum. Sensibilis enim discussio & exhaustio contingit, aded vt eger exuctionem sensu perceptet, & maximè iuxta vngues. Vitiat tamen colorem, cum ad fuscedinem corrumpens, quapro-

pter aliqui cerato liquido vngues prælinūt: idem  
facilè parabilia ad inflammationes podagricas de-  
scribens. Atque eadem inter acopa ordine 37. re-  
petit.

Limus aquaticus cum oleo subactus plurimùm  
pedum doloribus prodest: Marc. emp.

Lithargyrium cum vrina pueri in mortario agi-  
tatum, & ad formam vnguenti redactum, quidam  
in frigida podagra imponunt: Duffanus Ducretus.

Lolium decoctū ex aqua mulsa, vtilissimè ischia-  
dicis illinitur: Diosc. Lolij farina ex vino diluto co-  
cta, & mista cum acida fece, & imposita, coxarum  
doloribus maximè prodesse videtur: Cor. Celsus.  
Lolium tritum medetur podagris, alijsque dolo-  
ribus ex oxymelite. Curatio hæc à cæteris differt.  
Aceti sextario vno dilui mellis vncias duas iustum  
est: ita temperatis sextarijs tribus, decocta farina  
lolij sextarijs duobus, vsque ad crassitudinem, cali-  
dumque ipsū imponi dolentibus membris: Pli-  
nius.

Lora, siue deuera qui in potu vterentur, noui  
quosdam podagricos, existimantes minus noxæ  
inferri neruis atque articulis, quàm à vino, cui in  
calice aqua miscetur: Ioan. Bruyer lib. 17. cap. 13.  
de recibaria.

Loti omnes species Serapio sua lingua Handa-  
chocam indifferenter nominat. E cuius semine o-  
leum exprimitur Mauritanis ad articulorum do-  
lores expetitur. Neque enim fit hādachocæ oleū  
ex vulgari trifolij semine, vt quidam aberrantes  
existi-



existimant, sed ex omnium lotorum semine, & ex eo tantum trifolio, quod asphaltiten Græci vocât: Matth. de loto Ægypt. scribens.

Lupinorum farina coxendicum cruciatus ex aceto lenit: Dios. Sunt qui lupinorum farinâ ischiadicis cataplasinatis modo illinunt: Gal. Lupinifarina cum aceto aut mulso, aut posca tophorum coactionem prohibet: Orib. & Paul. Farinam lupinorum in aceto mulso aut posca decoctam cataplasinatis modo imposito: Aët. inter catapl. ischiadica. Inspergimen ischiadicum efficax: Farinam lupinorum in balneo inspergito, & in exudatoria tabella prostratum sudare facito: idem. Optimè in coxendicum dolore facit lupinorum amarorum decoctum cum pari oleo infusum: idem cap. 1. 4. lib.

Lupum viuum oleo cerati modo incoctum podagris mederi quidam ferunt: Plin. & Cæl. Aur. Lupi corium si quis elaboret, & calceos gestet, pedes non dolebit: autore eup. Stercus lupi in pelle animalis ab eo mortui gestatum ab arthritide præferuat: Apul. & Guain. Quidam sanguinem lupi siccant, redactumque in puluerem adipi suillo admiscant, eoque arthritide affectos artus illinunt, cæterisque vnguentis omnibus præferunt.

Lutra. Calciamenta ex canis fluuiatilis pelle, mirificè profunt ad pedum & neruorum dolores mitigandos: Aët. Lutram intelligit, nam testes eius ad eadem valere ait, ad quæ castoris testes, minore tantum efficacia: Gesn. de cast. Ex pelle lutræ calcei conficiuntur, qui neruis salutare esse dicuntur:

Ael. lib. 14. cap. 21. Sanguis eiusdem animalis ex  
posca illitus, intumescentes hominum nervos mi-  
rigare creditur: idem.

**M**Acis. VVelferij mercatores Augustissimi, fra-  
grantissimum oleum ex mace paratū ex In-  
dia auehunt, quod podagram, mirabile dictu, pedi  
oblitum, sanat: Cronenburgius in aromatico ro-  
fato Gabr.

Magnes lapis gestatus articulorum dolores cu-  
rat: Alex. Trall. & Guain. Rasis lib. de morbis iun-  
cturarum, dixit Ficinius qui cōposuit lib. de lap.  
quòd magnes si fuerit ligatus in pede podagrici,  
cum curat.

Mala cum parietaria imposita, commoda sunt  
podagræ biliosæ: Aët. qui non exprimit cuiusno-  
di mala intelligat: ego citonia accipienda puto.

Malicorium in aceto incoctum, aut aridum  
tritum cum pane subactum, impositum ad inflam-  
mationes podagricas nō valde feruentes commo-  
dum est: Aët.

Maluæ aqua coctæ & tritæ impositæ, celerimè  
dolores podagricos sedant: Aët. Maluæ syluestris  
succus in potu acceptus cum melle ischiadicis au-  
xiliatur: Const. Cæsar cap. 12. lib. 12. de agri-  
cult.

Mamiram aqua macerato, deinde tritam illini-  
to, & miraberis: est autem pro diuitibus: Aët. inter  
acopa ad podagricos & ischiadicos dolores, est que  
45. ordine. Doctiores plerique mamiram radicem  
anemones esse consentiunt.

Mandragoræ radix articulorum cruciatus cum  
polenta

polenta sedat: Diosc. Mandragoræ folia cum polenta trita in podagra laudantur: Plinius. Mandragoræ mala accipito, semenque euacuato, ac tenuissimam squamam eis obductam detrahit, atque carnem ipsam probè terito. Et ceratum ex adipe suillo & cera factum adfundito, vnto ac vntor. Hæc tria pari pondere sumuntur, aut adipis plus additur. Vtere ad tophos pedū, experimento constat, quòd contentum perrumpit & euacuat eadem fermè hora, sanatque idem vt ne cicatrix quidem relinquatur: Aët. Mandragoræ oleum valet contra guttam calidam & podagram: Roger.

Marmor. Acopō quod ad genuū fluxionem solum profuit, multis frustra antea admotis. Marmor, hoc est crustulam non vltam, contusam, & cū rosaceo tritam illinito. Ego autem scobem & ramenta marmoris lota & resiccata in promptu habui: vsu verò experente cum rosaceo trita adhibui: Aët. inter acopapod. & isch. est q: 41. ordine. Emplastrum tophaceas durities dissoluēs in hunc modum describit Amat. Lus. curat. 19. cent. 5. 24. marmoris subtilissimè puluerizati ℞. vj. butyri vaccini quantum ad spissitudinem prædicti pulueris sufficit, misce, & fiat emplastrum, & actu calidum applicetur, & rectè facietur, est enim, inquit, à multis expertum.

Marrubij quod folijs est tenuibus, decoctum, (*ἔξ ἀντιμυα*) infusum, dolorē leuat, ex ipsa verò herba cum panis micis aut cum hordei farina cataplasma fiat: Aretæus. Marrubij folia duris tumoribus post inflammationes relictis imponit Aët.

Quidam herbam cum oleo rosaceo in podagra frigida imponunt.

Medius lapis (aliàs Medus, & Medeæ gemma dicitur) lacte muliebri dilutus, & pellicula lupina cõligatus, portatusque, & in præenti, & deinceps in futurum tempus podagram certissimè subinuoebit: Mar. Emp. Marbodeus in dactylotheça,

*Lacte solutus ouis. semel atque marem parientis,  
Expellit veterem simili ratione podagram.*

Mei radice stritæ cum melle in eclegmate articulorum doloribus auxiliantur: Diosc. Mei decoctũ in potu sumptum podagricis & arthriticis professe in eiusdem eup. legimus, vbi in symphonijs autorum quædam aliter quàm Diosc. haber ascribuntur.

Meles. De tassi pinguedine, quæ (vt experimẽto manifesto constat) contractos neruos, & articulo rũ durities emollit, & discutit, nihil posteritatis memorix prodiderũt D. G. P. Matt. Taxi pinguedinẽ Græci prætereunt: constat autem plurimũ emolli: Ant. Bras. Adipes taxi, vulpis, felis syluestris, & alij, à medicis quibusdam (Leonello & alijs) miscentur ad compositiones arthriticas: Gesl.

Mellis oleum singulare est ad podagricos sedandos remedium: Andern.

Melilotus. Fatinam de meliloto in lotio humano & axungia vetere concoque, eamque panno illine, & mox vbi dolor auspicabitur pedibus impone, pro certo statim eum mulcebit hoc remedium: Mar. emp. Paulus decocto meliloti perfundit & irrigat locos, maximè autẽ extremas partes.

Men-

Menstruus sanguis fœminarũ leuat podagræ dolores illitus: Diosc. & Plin. Puella virginis primis menstruis inquinatum panniculum illinito, ac vbi sic aliquando fœderis, podagra non laborabis: Alex. Trall. inter phys. pod. remedia. Pannum muliebrem, id est menstrualem, oleo madefactum excoque, deinde exprime, & ceram illi oleo sufficientem addes, vt ceratum facias quo arthriticum vel paralyticum vtiliter perunges: Mar. emp.

Mentastrum (menta sylvestris) podagris impostum efficacissimum est remedium: Plin. Emplastrum ex mentastro fluuiali ischiadicis commendat Guain.

Merulam quidam in communi oleo tantum bullire permittant, vt caro ab ossibus separetur: quo oleo inungunt podagrica membra ad resoluendum materiam paulò calidiorẽ: Guain. Oleum vetus in quo merula discocta est donec dissoluatur, inunctum ischiadem curat: Kiranides.

Milium. Fomenta ex milio frictõ mitigant dolores ischiadicos exacerbatos: Aët. Vide Sal.

Milui caput siccum sine plumis, quantum tribus digitis prehendi potest, cum aqua potum, podagricis prodest: Paul. & autor lib. de theriaca ad Pilonem scripti. De miluo affirmant, si inueterato tritoque quantum tres digiti capiant, bibatur ex aqua, podagras lenire. Aut si pedes sanguinẽ cum vrtica: vel pennis eorum cum primũ nascentur tritis cum vrtica. Quin & simuseorum articulorũ doloribus illinitur: Plin. Vrtica trita cum sanguine miluino permixta, atque ex eo pedes illiti efficaciter sanantur: Marc. emp.

G

Ex Athenaisi lib. 2.

Motifruetus an nonnihil utilitatis adferat cum ruens humor articulos impleuit, compertum non habeo. Verum Hegefander Pythermi historia fretus posteritatis memoria mandauit, sua ætate morum arborem per viginti annos non tulisse fructum, eoque tempore podagræ (Ruell. non bene articulationem) luem tantam grassatam esse, ut non viros modo, sed & mulieres quoque & spadones indiscriminatim corripuerit: sed sa uienti cælo potius quam moro ferendum fuit acceptum: Ruellius qui quædam omisit, sequitur enim, eandem luem etiam caprarum greges inuasisse, ita ut vix tertia earum pars non corripereetur. Mercurialis lib. 1. variarum lectionum cap. 24. An id euenerit, inquit, quia mororum fructus podagram arcere queant, in controuersiam venire potest: ego certè apud Hipp. ac Gal. legi, mora quæ satis maturuerint, ventrem subducere (Mauritani urinam ciere, & sanguinem impurum expurgare contendunt: idque vulgus hodie persuasissimum habet) squalidumque ac æstuosum stomachum consolari, præsertim si frigida, nec cum cæteris cibis, sed paulò antè sumantur, moxque per pauimentum deambuletur: vnde Horatius poeta non immeritò (lib. ferm. 2. satyra 4. Sed is Romanos sua prandia clausisse moris ait) cecinit,

*ille salubres*

*Æstates peraget, qui nigris prandia moris,  
Finiat, ante grauem qua legerit arbore Solem.*

Quod verò priuata vlla facultate podagricis auxiliari, quod minus infestentur illi, possint, apud neminem adhuc obseruauit: fieri tamen potuisse crederem,

derem, vt mora frequenter Pythermi æstate ab omnibus ferè eſitata ſtomachis recreatis, aluiſque liquaris eorum humorum prouentum interciperent, qui in articulos decumbentes podagram gignere conſueuerunt. Sed conſiderãti mihi capras, quæ mororum fructus non attingunt, ab ea lue non fuiſſe immunes, potius aëris inclementiam, quæ moris inimica extitit, etiam pedum morbos produxiſſe exiſtimo: quando varijs aëris conſtitutionibus varias ægritudines peruagaſſe non rarè à maioribus noſtris obſeruatum ſit: Hæc doctiſſimus Mercurialis, præter ea quæ nota parentheſeos incluſa ſunt.

Mula. Emplaſtrum ex mulæ vrina, etiam in vigoribus impoſitū, frigidioribus præſertim fluxionibus commodū eſt: Paulus lib. 3. cap. 78. & rurtus lib. 7. cap. 17. Emplaſtrum ex vrina muli podagricum: Vrinæ muli maſculi ſextarios quatuor, ſpumæ argenti libras duas, olei veteris minam vnam. Diu omnia terito vt ſtrigmentitia euadant, & coquito donec non inquinent. Emplaſtrum ad podagricos nominatum ex vrinis, quod Aphricanus ſcripſit. Impoſitum enim, podagricos dolore liberat, vt ſecundo aut tertio die ſurgentes deambulent. Caput vrinæ mulæ clā acceptæ libras tres, aquæ lithargyri, ſing. lib. vnam. Terito bene, adijce exiguū vrinæ, & coquito uſque ad mellis craſſitudinem, Dein admisce olei veteris ℥. ſ. ℥ j. ſ. adipis ſuilli veteris ℥ viij. ſ. & coquito ad lentum ignem, ac moueto, donec fiat emplaſtrum quod non inquinet, & illitum linteo ſolido impone caſſ.

dum: Nicolaus Myreps. apud quem plura non magis superstitiosa, quàm ridicula, sequuntur. est autem in ord. empl. 183. Pharmacum ex argenti spuma & vrina apparatus scio quosdam circa totius affectionis vigorem, non modò iuxta particulares exacerbationes, aliquando verò & augmenti tempore, ad dolentes locos pro cataplasmate imposuisse, humoresque forinfecus extraxisse, & tumores quidem maiores reddidisse, dolores tamen omnino sedasse ac extirpasse. Cæterum odor illius intolerabilis est eis qui tenero olfactus sensu præditi sunt. Compositio verò talis est. Vrinæ muli masculi non castrati sextarios Italicos quatuor, spumæ argenti libras duas. Spumam argenti tenuissimè tritam in mortario habeto, eique vrinam affundito, ad Solem videlicet æstiuum exposita paulatim vrinam instillato, & postquam ad mellis spissitudinem peruenerit, vrina scilicet consumpta, olei vncias viginti quatuor addito, adipis porcini veteris vncias sedecim, & vsquequo non amplius inquinari manus coquito. Vfus verò tempore lingule exceptum imponito. Oribasius autem axungie libram vnam coniecit, & medullæ ceruinæ nõ falsè bessem, & mellis lib. tres: reliqua verò eodem modo. Scribunt porò quidam proprij muli vrinam accipiendam esse. Resistit enim & reluctatur morbo ex natura sua hoc animal. Efficacius autem aiunt reddetur, si quis dum coquitur ipsa in cacabum expuat, & semel in terram. Atque hæc cum quibusdam barbaris nominibus inuenire licet adscripta, quæ sanè curiosam penitus habent scripturam,



ram, atque ob id superfluum & indecorum mihi visum est, inquit Philagrius, ea adscribere. Etenim citra eorum nominum inentionem ac nomenclaturam, ipsum phar macum apparatus, eodem modo efficax est, sicut id quod cum nominibus præparatur: Aëtius:

Mures dissecti impositi podagras leniunt: Plin. Mures quidam capite & alijs extremitatibus amputatis quotlibet euiscerant, & donec caro ab ossibus separetur in communi oleo bullire permittunt, ex quo cum tempus est, loca perungunt ad resolvendam materiam calidiorem: Guain. Remedium ex muscerdis ischiadicis vtile, sed nimis ridiculum Marc. emp. describit.

Muris alpini adipem illitum arthricos iuuare aiunt: Ges.

Muria ischiadicis infunditur: Diosc. Muria si nullam aliam substantiam ammixtam habet, similem sali vim habet, sed debiliorem, ob aquæ mixturam. At salforum piscium, & oliuarum colymbadum muria, magis extergentem vim habet. Itaque coxendicum morbo laborantibus & dysentericis infunditur: Paul. Serapio & antiquorum nonnulli ex solo almuri clystere fieri in ischiadico morbo iubent: quod in aliquo grosso rustico facere potes, in delicato, & in eo qui intestina habet debilia, nequaquam: Guain. Vbi articulorum dolor vehemens vrget, tumorque nullus est, aquam marinam, vel muriam duram feruefacere oportet, deinde in pelucm conijcere, & cum iam homo pati potest, pedes demittere, superque pallam dare, & vesti-

mento tegere, paulatim deinde iuxta labrū ipsū ex eadem aqua leuiter infundere, ne calor intus destituar, ac deinde noctu cataplasmata calefacientia imponere, maxime quę hibisci radicem ex vino coctam: C. Cels. Vide in sale.

Muscus arborum coctus in oleo camomillæ in arthritide frigida commodissimus est: & hoc de meis secretis est: aut Rosa Anglicæ.

Musco marino præcipua spissandi vis est, & collectiones cohibendi, & podagras quas refrigerare opus sit: Dios. Ruellio interprete. Græca in hunc modum habent: *ἰναι. ὡς συσπικόν, ποιῶν πρὸς φλεγμῶν καὶ ποδάγρας, πρὸς σφραγῶς δρομένους.* ego ita redderē: Marinus muscus sufficienter astringit, atque inflammationibus feruentibus, podagrisque refrigerationibus indigentibus prodest. Bryoni marinæ præcipua sicandi spissandi que vis, & collectiones omnes, inflammationesque cohibendi, præcipuè podagræ, & quicquid refrigerare opus sit: Plinius. Muscus marinus frigefacit & astringit. Quare feruentes inflammationes impositus iuuat: Paul. Muscus qui in aqua fuerit podagris illitus prodest, item oleo admixto, talorum dolori tumori que: Plin. lib. 3. 1. cap. 6.

Muscus terrestris (*beerenlappen*) contusus, aut in vino decoctus, dolorem & inflammationem sedandi vim obtinet, ideoque podagræ calidæ impositus prodest: Tragus lib. 1. cap. 189.

Musca persepe curatur ischiæ dolor cum vehementissimus sit. An quoddam dolor hic, cum membrum non afficiat principale, leniatur translatis aliò ob dele-

delectationem spiritibus, inde vsu auertitur à calore confirmato doloris causa. Card. lib. 18. de subr. Scaliger exerc. 3 48. Hoc iam diu est, cū apud Græculum, vnde sumpstisti, ridebamus. Si solis spiritibus dolor coxendicis constituatur: eorum auersione profectò differatur dolor. Sin materia crassa est, frigida, viscida: tantum abest vt curetur, vt deductis aliò spiritibus materia etiamnum magis incrudescat. Vide suprà carmen. Certè Lucianus in centionibus fidentes meritò irridet, in Tragopodagra dicens.

*ἄλλος ἐπ' αἰδαῖς ἐπιθετῶν ἐμπαίζεται*

*Ἰουδαῖος ἔπερον μαρὸν ἐξείδει λαβῶν.* id est, alius carminibus animum adhibens illuditur: Iudæus excantat fatuum nactus alium.

Mustela quæ in domibus oberrat, cremata in fistili podagricis confert, cinere ex aceto illito: Dios. Mustelæ cinis multum discutit, cum aceto itaque illitus podagris & articulari morbo prodest: Paul. Mustelam nunquam conbussimus, de qua scriptū legitur, cinerem quidem eius cum aceto illitum, podagricos arthriticosque iuuare, tanquam vehementer valeat digerere: Gal. Sanguis mustelæ cū plantagine illitus, & viuæ combustæ cinis ex aceto & rosaceo, si penna illinatur, podagras lenit: Plinius & Marc. emp. Arnoldus de villa noua mustelam in vino & oleo vsque ad dissolutionem coquendam, deindeque pistandam, & per pannum colandam, additaque cera in cerati formam redigendam, applicandamque locis affectis in breuiario consultit.

Myristicarum, vulgò muscatarum, nucum oleū neruorum & articularum diuturnis doloribus à frigore excitatis vtilissimum est: Matth. idem oleū ad ischiadicos dolores remedium optimum esse tradit Alex. Pedemont.

Myrrhæ oleum præmissis vniuersalibus in doloribus arthriticis certo quorundam experimēto vtilissimè inungi constat. conficitur autem in hunc modum: Coquantur aliquot oua donec indurescant, dempto cortice per medium scindantur, & exempto vitello eius loco myrrha bona & pura imponatur, tum rursus duæ partes oui filo diligenter colligantur, & vndique stylo perforata in vitro suspensa in loco humidiorē, vel tubterraneo per dies 15. vel plures seponantur, atque ita extillabit oleum, cuius vsus summopere commēdatur. Quidam admiscēt partem olei gummi ammoniaci simili modo parati. Hanc huius olei præparationem didici primū ex Helidei Bononiensis medici secretis quæ à 22. & amplius annis habeo, alijsque amicis pluribus (interque eos D. Gesnero piæ memorię præceptorī & tanquam parenti charissimo) communicauī.

Myrrhis. Viscum siue mucilago glutinosa, ex herba, radice, & semine (aqua pluuiā exquisitè excoctis) in panno laneo dum adhuc calet brachijs cruribusque applicatum, dolores spasmodicos & arthriticos partium harum (quem affectum Germani quidam *das lauffend vorgicht*, alij *das kalte geschicht*, alij verò in comitatū Tyrolensi & ad lacum Podamicū, *das geschos* appellitant) mitigat & lenit:

Reme-

Remedium sanè quàm consecrationes & coniu-  
rationes sagarum, veneficarum, agyrtarum, & ex-  
orcistarum (qui in locis dictis ex hoc morbo pecu-  
niæ aucupia peculiaria captant) non solùm melius,  
verùm etiam pietati Christianæ conformius, & vi-  
ribus efficacius: Turneisser. lib. 1. botanol. cap. 27.  
Ad eadem angelicâ, leuisticum vulgare, & similia  
efficaciora fore puto.

**N**Aphtha coxendicum doloribus auxiliatur:  
Diosc.

Narcissi radix diuturnis articulorum doloribus,  
trita ex melle & imposita, subuenit: Diosc.

Nasturtij semen coxendicibus commodè ex a-  
ceto illinitur: Diosc. Nasturtij semen adurentis fa-  
cultatis est particeps, sicut sinapi. Proinde coxen-  
dicis & capitis dolores atque ad eò quodcunque  
aliud rubificationem postulat, eo perinde atque si-  
napi exalfaciunt: Gal. Sem. nasturtij drachma  
vna cum vino pota auxiliatur in exacerbationibus  
ischiadicorum: Aët.

Nicotianæ folium super lentum ignem frixum,  
& dolori ischiadico præuncto cum oleo calido im-  
positū, mitigat dolorem: autores agriculturæ Gal-  
lici lib. 2. cap. 74.

Nitrum humores euocat qui in alto concreue-  
runt: Diosc. Nitrum Chalastræum acrius est &  
magis siccat vulgari. quare etiam ad fluxiones è  
capite, & ad articulorum affectiones ipso vtuntur:  
Paulus. Corpus ischiadicorum nitro in balneo ex-  
tergit Aëtius. Spumam nitri albam cū oleo veteri

terito, eoque locos affricato, & miraberis. Nitrum & calcem viam pari pondere axungia excipito ac imposito tophis pedū idem. Pharmacum ex nitro & oleo Philagrij. Nitrum accipito friabile & nihil calculosum in se habens, idque ipsum quā tenuissimè terito, olei tantum ad ipsum in mortarium affundens quo trita simul ad mellis crassitudinem redigantur: atq; vbi satis diu cōtriueris, cacabo excepta, ad lentum ignem nō fumantem coquito affiduè agitando, donec ad bonam compagem reducantur, animaduersione habita ne liquidius pharmacum relinquatur. quod vbi contigerit, pharmacum penitus liquidum euadit, & neque in posterū inspissatur, nisi multam aliam sustineat coctionem, quæ vim eius sicciorem, & ob id affectis dolore membris inutilem reddit. Probare autem eius compagem tempore coctionis oportet, ad testam aridā ipsum destillando, testa non prius humectata, quæ admodum in alijs pharmacis facere solemus. Resoluitur enim nitrum per aquæ contactum. Sit autem oleum quod nitro affunditur dulcissimum, tenuium partium, aut rosaceum, aut chamæmelinū, aut anethinum, aut vetus, aut cicinum, aut sicyonium. Quandoque etiam chamæmeli humidæ siue aridæ, aut iridis tenuissimè tritæ, aut aristolochiæ, aut alicuius consimilis partem ammiscere prodest. Siquidem autem repellere simul ac discutere velimus, aut etiam calidos dolores curare, cum rosaceo ipsum pharmacum coquemus, aceto quādoque in coctione aut modico passo affuso. Si vero amplius discutere velimus, cū aliquo alio oleo

coque-

coquemus, ammixtis etiã quibuldam præscripto-  
rum aridorum, iuxta habitum videlicet curãdi cor-  
poris & compagem ipsius tumoris. Hoc sanè phar-  
macum dolores in alto obortos quàm celerrimè  
fanat, atque id eò magis si non biliosum sit, neque  
multum calidum quod influit. Vtimurque ipso si  
post sedatas inflammationes dolores in alto per-  
maneant. Hoc pharmacum ex Aëtio huc transcri-  
bere non solùm quòd simplex eius compositio sit,  
sed etiam quoniam methodum componendi &  
mutandi medicamenta pulcherrimè docet, pla-  
cuit.

Nix. Noui podagricos qui sæuiente malo dolen-  
tem pedem frigidissima perfundunt. Alij hibernas  
reponunt niues eidem remedio. Sed vbi frigore  
dolor obtorpuit, petrelæo fouent, & paroxylmis  
liberantur: Geslex Hollerio. Huiusmodi verò re-  
medijs cautè vtendum est. Nam materiam crassio-  
rem minusque vt discutiatur aptam reddunt, timè-  
dumque ne ad interiores nobilioresque partes re-  
pellatur. Cuidam podagrigo (verba sunt Guain.)  
cholericò, macilento, debili, à dolore admodum mo-  
lestato, ludæus quidam nulla præmissa euacuatio-  
ne petras madefactas in aqua frigida membro su-  
perposuit, vnde dolor auctus est: quod aduertens  
ludæus embrocationibus & vnguentis successiue  
opiatis vsus est, vnde fuit materia adeò incensa, vt  
circa caniculam fuerit tota tibia concremata: cui  
volens ludæus succurrere, succum semperniui, o-  
leum rosaceum, & acetum cum puluere boli Ar-  
meni, sanguinis draconis, modico camphoræ mi-

scuit: dehinc petias infusas super partem membri combusti posuit: & in tantum fuit adactus ignis vt breui vsque ad genu tota tibia concremata fuerit. Alium quoque vidi hominem repletum valde in cibo & potu, cui super podagrico pede repercussus frigidis appositis in die vna naturali tibia tota adeò tumefacta est, vt elephanticum iudicasset, & infra diem tertium ad Plutonium permeauit. Hac ascribere placuit, quò plures temerarios homines ne tam imprudenter remedia vbique adhibeant, admonerem. Niuem assumptam in potu articulares morbos, & neruorum dolores generare ex Gal. & Sim. Sethi constat. Vide nostram amethystum.

Noctua. Arnoldus de villa noua lib. 2. breuiarum: Quidam, inquit, dixit mihi quòd accipiebat noctuam benè pinguem, & eam à pennis & interioribus benè mundabat, & faciebat eam decoqui in modum pulli, & dabat eam ad comedendum, & brodium ad bibendum, & hoc solo multos arthreticos curauit, & dixit, & iurauit quòd probauit.

Nycteridem herbam, quam vnguentum Helenes appellant, oleo decoquito, & per diem vnam in oleo manere finito, percolatoque & illinito: Aët. lib. 12. Ego in buglossæ defectu nycteridem herbam, ab aliquibus vnguentum Helenes appellatam, ad coxendicum affectiones adhibui, & bene successit: idem lib. 15. Ruellius anagallidem hoc nomine intelligendam putat, quoniam inter ceteras eius nomenclaturas apud Dioscoridum nycteritis ponatur:



tur: cuius opiniononi vt assentiam vires quas Aët. ny-  
steridi: Diosc. verò anagallidi tribuunt, persua-  
dent.

**O** Chra articularum tophos comminuit: Diosc.  
Ocimasti semē datur ischiadicis cum mel-  
le, vino, myrrha, & pipere: Diosc.

**O** Elypus (lana succida) ex rosa & vino podagrae  
calidae prodest: Scrib. Largus. Podagras lenit oely-  
pus cum lacte mulieris & cerusa: Plinius. Aegy-  
ptium emplastrum podagricis tum in inflamma-  
tionum remissione, tum post easdem commodum  
ex lanis succidis vltis apparatus: Aëtius lib. 12.  
& 15.

**O**leum. Fomenta ex oleo mitigant vehemen-  
tes dolores ischiadicos: Aët. Iuncturatum dolori-  
bus benefacit balneum ex tepenti oleo: Ant. Fu-  
manell. Si in superficie dolor in podagra sangui-  
nea consistat, per vini & olei vsum magnopere san-  
guine prius euacuato, iuueris, æstate quidem tepi-  
dorum, hyeme verò calidorum: Aëtius, qui etiam  
pharmacum ex oleo & vino Galenicum, conue-  
niens in declinationibus inflammationum, & post  
easdem in omnibus podagricis describit hisce ver-  
bis: Spumæ argenti drachmas nonaginta sex, olei  
veteris drachmas centum nonaginta duas (ad po-  
dagricos verò sufficit si anniculum sit oleum) vini  
veteris fului, pellucidi, atque leniter dulcis tantum  
quantū olei, coquito simul ad compagem manus  
non inquinantem. hic enim est optimus eius appa-  
ratus. Nam qui triplum olei accipit diutius coqui-  
tur, & magis resiccans redditur.

Oliuarum albarum succum affusum, ipsasque oliuas pro cataplasmate appositas ad podagram prodesse Diosc. in eup. scriptum reliquit.

Onagri, & apri, & ciconia: neruos sumito, ac plicatis inde chordis, dextros quidem neruos dextris agrorum pedibus, sinistros autem sinistris alligato, ac statim dolorem leuabis. Vbi autem dolor conquieuerit, nō amplius alligabis, sed ubi rursus dolorem senserit: ac miraberis, quod neque dolor, neque aliud quid periculosum subsequatur: quemadmodum multos attonitos fieri conspiciamus, ubi pedes fluxionibus tentari deserint. Nonnulli verò ciconia: neruos alijs non complicant, verum retinent, mittuntque in phocæ pellem, ac illigant chordis teorsim absque neruis ciconia: plicatis. pedibus ægri similiter illigant dextros dextris, sinistros sinistris, cum Luna est in occasu, vel in signo sterili, & Saturnum ingreditur: Alex. Trall. inter physica med.

Opium podagris proficit cum lacte mulieris & croco: Diosc. Opium lacte muliebri dilutum in podagra calida prodest: Scrib. Lar. Opium podagris illinitur cum lacte mulierum. Sic & folijs (intellige papaueris) ipsis vtuntur: Plin. & Marc emp. Placet hic Aëtij de stupefacientium medicamentorum in podagricis vta verba ascribere. Composituere, ait, medici ob excellentes dolores, aut etiam ob agrorum mollitiem quos curate cogimur, & neque minimum dolorem tolerare possunt, medicamenta stupefacientia appellata. Hac enim nequaquam affectiones ipsas in quibus dolores fiunt,

fiunt, curant: verùm stuporem & sensus hebetationem membris inducendo, quietem quandã doloribus obducunt. Quapropter si ad huiusmodi pharmacorum vsum, aut ob excellẽtem dolorum magnitudinem, aut ob immodicam caliditatem erysipelatis cõsimilem, cogamur, vtemur quidem modicè, quò feruor immodicus refrigeretur, aut sensus oblæsiõ deleatur. Ad hoc etiam animaduersione habita diligenti, ne quid post vehementis caloris & doloris extinctione, ex stupefactiuo pharmaco in membro permaneat. In horum tamẽ medicamentorum vsm pro scopo habere oportet, imponitur hora, postquam, statim stupefactiuo ablato, imponatur cataplasma ex farina fabacea adipeque & aqua: Etenim vbi ea quæ vehementer refrigerãr, diutius adhæserint, inducunt corpori stuporem, & sensum ægrum ac languidum. Quapropter cum ad vsum stupefacientium in feruētibus doloribus fuerimus redacti, postea refouebimus partes per ea quæ calefacere possunt: Hæc Aët. lib. 12. cap. 28. & 30.

Opopanax, vide Panax.

Orthogorisci siue Lunæ piscis pinguedinem, (quæ multa est & candida) ad dolorem articulo- rum, & neruorum contractionem siue rigorem valere experti sumus: Rondelet.

Ossa. Noui nostratium quosdam ossa potui exhibuisse, haud scientibus qui biberent, quidnam ebibissent, ne scilicet auersarentur, ac multorum arthritin curasse: Gal. Ossa vsta quidam bibenda ex-

exhibet, & morbum articulare curat: Paul. Ceruina ossa aut bubula ex suris recentia, & vt probè cõteri queant vsita, in antidotum podagricam primam apud Aët. immiscet Philagrius: vbi Aët. ait ossium substantiam facultatem habere consumendi ac resiccãdi, ad eò vt etiam sola assidue & opportunè exhibita inueteratũ articulare morbum curen. Vt verò ne quid ex humoribus resiccetur ac lapidescat, incurabileque aut ægrè medicabile reddatur, tempore præseruationis eam minimè conuenire. At existimauerunt quidam, inquit Auicenna, quòd de expertis quæ non diuersificantur omnino, est vt in potu dentur ossa hominis adulta: & iam quidem vsi fuerunt eis quidam de famosis, & sanati sunt cum eis ex podagra, & doloribus iuncturarum omnino: Guainerius cap. 29. Ossium humanorum cinis à drachma vna ad duas tam calidæ quàm frigidæ & permixtæ arthreticæ indifferenter conuenit. Aliqui tamen cuiusuis animalis cinerem indifferenter laudant. Vnde Rasis ad superfluitates quæ in articulos fluere consueuerunt: da, inquit, in potu de vsis ossibus cum aqua calida drachmas duas. Hic autem nõ magis de vno quàm de alio osse mentionem facit: sic vt videatur velle quodlibet os huic passioni indifferenter conuenire. Sed quoniam humana inter se maiorem conuenientiam atque conformitatem habere videntur quàm animalium aliorum, hinc est quòd autores ista potius elegerunt: & nedum humana absolute accipiant, sed potius ista quæ arthretico membro correspondent: vt si chiragricus fuerit, cinerem ossium

ossium manus accipiant: & ad hunc modum de alijs. Verùm vbi cinerem illum in puluere sumere tuus præseruandus fastidiret, ex eo cum succo iuæ, herbæ paralytici, saluicæ: vel cum aliquo tali, seu cū appropriato aliquo syrupo pilulas confici iube, quarum drachmam vnam stomacho vacuo quaque die dabis: Hucusque Guain. Medici quidam ossibus humanis vtuntur hoc modo. ℞. ossium humanorum de extremitatibus iuncturarum pedum lotorum in vino nigro & exiccatorum, & puluerizatorum ℥. j. iuæ arthreticæ ℥. s. liquiritiæ rasæ, & sacch. albi añ. tantundem. Misce. Hic puluis in hyeme detur cum aqua mellis: in æstate cum saccharo vel endiuicæ, vel acetosæ. Sumatur bis in hebdomada pro vice cochlear vnum. Arnoldus de villa noua oleum ex ossibus humanis paratum, ad podagram maximè valere, omnibusque iuncturarum doloribus mirificè conferre asserit. Geber autor est, contra arthritidem summè prodesse humani brachij, vel tibiæ os combustū, facto puluere ex eo quod album intus mansit, & parti affectæ appposito.

Oua. Oleum quod è vitellis ouorum diu in fatragine frixis elicitur, illitum articulorum dolores Matth. teste, experientiaque approbante, mulcet. Oleum ex ouis destillatū præcipuè podagræ prodest, si quatuor diebus, bis in die vngantur: Ges. in secunda parte Euon. Albumen ouorum plurimis medicamentis in podagra biliosa vtilissimè adijcitur Aëtio. Oua gallinarum numero quatuor adij-

H

ciuntur cerato cuidam podagrigo apud eundem.  
Vide butyrum.

Ouillis cornubus crematis, & ex vino in pila detritis, dextro cornu dextrū pedem inungito, & sinistro sinistrum, & dolores podagricos mitigabis: Alex. Trall. inter physica pod. rem. Pecudum firmum quod liquidum reddunt, podagras lenit: itē pulmones pecudum: Plin. Quidam ex pulmone motonis in lacte decocto iuncturas dolentes emplastrant: Guain. Sunt qui ouinam pellem recens detractam & impositam, lacte vaccino loco prius illito, plurimū conferre affirmant.

Oxymel sumptum crassos humores extrahere, & ischiadicis, & articulorum morbo confictatis prodesse creditur: Diosc.

**P**æonia. Ad coxendicum dolorem pæonia radice in oleo ad triduum contusam accipito, & quarta die paululum coctam illinito. Cæterum præpurgandos eos scito: Aët. Pæonia herbæ radicis partem alligabis lino, eumque qui patitur ischiadicum morbum circumcinges, res est saluberrima: L. Apul. Radix pæoniae masculæ Maio collecta & crescente Luna, pro amuleto suspensa podagricos iuuat, est autem absque superstitione: Cardanus lib. 8. de rerum varietate. Quidam radicem pæoniae cum vino potam dolori iuncturarum & arthreticæ prodesse tradunt.

Palmarum Christi radices, quas Auic. digitos citrinus nuncupat, conferunt membrīs neruosis in impedimentis suis: Auic. Hanc radicem Matth. ad hermodactylum accedere rectè conijcit, crassos enim

enim tenuesque humores copiosè educit, ac vomitiones, aluumque ciet.

Palmularū glandes ponit Aët. inter faciliè parabilia, quæque doloribus non valde feruētibus profunt, cap. 29. lib. 12. Emplastri phœnicini Gal. examen ac componendi modum, eoque in arthreticis vtēdi rationem copiosè exponit Ioannes Franciscus Rota de veterum Græcorum medicamentis in vsum reuocandis scribens.

Panacis Heraclij succus ischiadicis illinitur. Podagræ cum vua passa illitus subuenit. Vinum ex panace contra coxendicum dolores efficax est: Dios. Podagræ medentur panacis radices cum vua passa: Plin. Opopanax prodest purgationis ratione ischiadi, gonagræ, podagræ: Mes. Item: Opop. dissipat & resoluit ischiadem, gonagram, podagram, & aliorum articulorum dolores quouis modo vsurpatum, hoc est, sumptum, clystere iniectum, admotum, præsertim cum succo brassicæ, melle, pauco sale. Et, panacis lachryma deijcit à remotis corporis partibus, præsertimque ab articulorū compaginibus, lentam, crassam, contumacemque pituitam: ob id prodest harum partium morbis frigidis, ischiadi, gonagræ, podagræ. Particula succi sine lacrymæ panacis heraclij femorib. adhibita, ischiâ pellit: dolores podagræ, loco affecto inuncta mitigat: Turneiferus lib. 1. botan. cap. 3.

Panem diligenter emollitum solum, aut admixta radice symphyti, vel hybisci decocta, vel cuiusquam similis virtutis, ad mitigationem imponit Cæl. Aur. lib. 5. chron. Sequenti emplastro cõmu-

niter vtuntur medici. Recipe medullam panis infusam in lacte, ita quòd imbibatur, deinde ponatur in mortario, & adde casia nouiter extracta ℥. j. vitellum oui vnus, olei rosacei, omphacini q. s. fiat emplastrum. Quidam sine casia conficiunt modo dico opij siue croci addito. Nonnulli micam vetustissimi panis in succo solatri, aut iusquiami, seu semperuiui bullientes emplastrum faciunt: Guain. Arthriticis omnibus sudor ex vapore panis, siue istriceus siue hordeaceus sit, calidi excitatus, vtilissimus est, vt quotidiana experientia constat. Fuere inter medicos aliqui qui panis similaginei vsum ijs prohibuerunt, qui articulari morbo laborant, idque ob eum quem habet similago lentorem, & bene quidem faciunt: Sim. Sethi.

Papaueris nigri folia podagris imponuntur: Plin. Papaueris calyces in aqua mulsà decoquito, ipsisque proiectis farinam hordeaceam aqua mulsà incoquito ac imponito. Aliud. Calyces papaueris virides terito, & adpersa polenta farina, in pastillos digerito, eosque in vmbra reficcato. Vsu vero expetente in sufficienti aceto dissolutos ac calfactos imponito: Aët. inter cataplasmata ischiadica. Proditum est, quòd si cum lacte muliebri cataplasma fiat ex papauere nigro, podagricis prodesse: Sim. Sethi. Vide Opium.

Papaueris corniculati radici ea vis inest, vt in aqua decocta ad dimidias, coxendicum affectus potu sanet: Diosc.

Paralysis herbae recetiores vim efficacem articulorum dolores tribuunt: Matth.

Parie-



Parietariae siue helxines succus commodè imponitur podagris cum hircino adipe, aut cerato cyprino: Diosc. Helxine imponitur podagris cum caprino seuo ceraque Cypria: Plinius. Succus perdicidis cum posca illitus validam vim habet in corroborandis partibus ne subito in posterum fluxionibus tententur: Alex. Trall. Perdicij folia cum pane aut polline polentæ imposita inflammationes articulorum ignem sacrum referentes mitigat: Paul. Ad podagram calidam cum feruore, & tumore rubicundo, quam calidam vocant, benefacit primis diebus herba vrceolaris per se, item caseus mollis recens per se, postea herba cui salis pusillum admiscere oportebit: Scrib. Lar. & Marc. emp. Herba perdicalis coquatur ad podagram in aqua, & ex eadem aqua fouebis pedes vel genua, deinde ipsam herbam tusam cum axungia impones pedibus panno inductam, vel super genua, sanabit mirè: L. Apul.

Passum. Optimum est fomentum ex passlo mari mixto apparatus podagræ pituitosæ: Aët.

Patientia. Notissimum vulgò nullam homini virtutem patientia commodiorem esse. Atque Socrates cum primos tres versus Euripidis qui sunt principium fabulæ quæ Orestis inscribitur audisset, reuocasse dicitur, repetisseque ob elegantem veramque sententiam. Sunt autem hi:

Οὐκ ἔστιν ὃ δὲν δεινόν, ὡς εἰπὲν ἔπος,  
 Οὐδὲ πάθος, ἢ δὲ ζυμφορὰ θεήλαος,  
 Ἦς ἕκαστὸν ἀρετῆς ἀχθος ἀνθρώπων γένος.

H 3

Hocce Cicero latinitate donauit lib. 4. Tuscul.  
quæstionum:

*Neque tam terribilis vlla fando oratio est,  
Neq; fors, nec ira cœlitum inuictum malum,  
Quod non natura humana patiendo ferat.*

Solebat autem narrare Pompeius: se cùm Rhodum venisset decedens ex Syria, audire voluisse Posidonium: sed cùm audisset eum grauiter esse ægrum, quòd vehementer eius artus laborarent, voluisse tamen nobilissimum philosophum visere: quem vt vidisset, & salutauisset, honorificisque verbis prosecutus esset, molesteque se dixisset ferre quòd eum non posset audire: at ille, tu verò, inquit, potes: nec committam vt dolor corporis efficiat vt frustra tantus vir ad me venerit. itaque narrabat eum grauiter & copiosè de hoc ipso, nihil esse bonum nisi quod honestum esset, cubantem disputauisse: cumque quasi faces ei doloris admouerentur, sæpe dixisse, Nihil agis dolor quamuis sis molestus: Cicero lib. 2. Tusc. Anno 1548. cùm imperator Carolus V. laboraret sibi consueto morbo articulari, crescentibus doloribus, accessit ad eum elector Ioachimus, & adhortatur vt ipse adhibeat remedia, & medicos, qui suæ Cæsareæ Maiestati optimè consulere, cùm tales habere posset. Ibi imperator respondit: ô, patientia est optimum remedium, & in magnis doloribus aliquantulū vociferari: *geduldt, vnde in vvenig schresen*: Ioannes Manlius in libello medico. Amantissimæ mei, mihi que charissimæ parentis, (ex cuius ore in summis diuturnisque articulorum doloribus nullum vnquam

quam verbum, vnde quisquam suspicere potuisset, ipsam, morbi vehementiam minus patienter & placidè ferre, exiuit) patientiam, vir quidam grauis ac magnæ authoritatis in literis suis ad me scriptis, non dubitauit diuinam appellare.

Pauonum fimus calorem podagræ dicitur mitigare, vt quidam nescio ex quo Hieronymo citant: Ges.

Pentaphyllon, vide Quinque folium.

Peucedanum ex oleo & rosaceo illitum prodest ischiadicis: Dios.

Picam viuam dissectam aliqui imponunt articulis laborantibus: Ges.

Pilosellam in vino coctam quidam cataplasmatibus modo in vehementi dolore imponere consulant: Venimecum & alij.

Pimpinellæ nigrae siue hirsutæ herbae, sali, oleo, atque elixir præcipua inest in propulsanda ischia vis, atque efficacia: primo quidem potui dato, secundo verò cum tertio inunctione circa coxendices applicato. Vfus eorum atque ad eò cura, Luna decrescente suscipi desiderat: ac sal quidem per dies triginta hora antemeridiana pondere drachmæ semis est hauriendum: hora verò pomeridiana coxendices ad ignem calidiusculum nulla accedente humectatione siue balneo inungenda. Vsu tali indies repetito, nec quæ ad moderatam victus convenientis normam spectant, neglectis aut omissis: Turneiferus lib. 1. botanol. cap. 13.

Pinguedo cistæ in qua mortuus consumptus

est coctæ, inunctum ad podagricos dolores prodest; Andernacus.

Pix naualis ad genuum dolores facit: Ant. Fumanel. Pici, visco, & sulphuri viuo medicamenta duris tumoribus post inflammationes relictis cōuenientia permiscet Aëtius.

Plantago podagræ calidæ prodest: Scrib. Larg. Vtrilibet podagræ plantaginis folia trita addito sale modico conueniunt: Plin. lib. 26. cap. 10. Aretæus in artuum dolorum exacerbationibus plantaginem herbam imponit. Ad arthriticos expertum; Plantag. minoris herbam contunde, subigitoque cum adipe suillo recenti, & vtere: Nic. Myr. sect. 38. num. 99. Ad podagram & omnem neruorum dolorem & tumorem herbæ plantaginis folia contusa cum modico sale & imposita, optimè facere certum est: L. Apul. Plantago cum axungia subacta & imposita lenit pedum dolores: Marc. emp.

Podagrariæ herbæ ebulo similis, quam plebs experitur ad ischiadicos & podagricos optimè facere, indeque Belgæ *fleincruyt*, id est, podagrariam vocitant, meminit autor herbarij Anglici pag. 111.

Polemoniæ radix bibitur ex aqua aduersus coxendicum cruciatus: Diosc. Polemonium tenuium partium est, & desiccandi vim obtinet: quamobrè quidam radicem eius cum vino ad ischiadicos potui exhibent: Gal. & Aët.

Populi albæ cortex vnciæ vnius pondere potus ischiadicis prodest: Diosc. Populi albæ cortex ischiadicis

ifchiadicis & stranguriæ prodest: Plinius, Q. Ser. Sam.

*Populus alba dabit medicos de cortice potus.*

Populi nigra folia cum aceto imposita podagricos dolores sedant: Paul. Populi nigra folia podagris in aceto decocta imponuntur: Plin. Unguentum è nigra populi fructu ad podagricos & arthricos Nicol. Myrep. sect. 3. num. 17. describit. Acon ex eiusdem floribus Aët.

Porri sectiui triti succus expressus cum vini hemina ieiuno potui datus, efficaciter ischiadicis & lumborum doloribus medetur: Marc. emp.

Portulaca podagra calidæ prodest: Scrib. Larg. Portulaca podagra cum sale illita prodest: Plin. Hanc cum melle aut cimelia creta podagra inflammationes sanare haud rectè ex Plin. Matthiolum, vt cuius Plin. verba legenti apparebit, docet. Vide Hyoscyamum,

*Psyllij semen articulorum morbis illitum auxiliatur: Diosc.* Psyllij semen si aqua maceretur, & diligenter subigatur, viscosum que fiat, & hordeaceis farinis permisceatur, mirabiliter dolores mitigat, feruorem & ardorem doloris extinguit, & affecta loca ad temperiem bonam reducit: Alexan. Trall. Psyllium cū hordeacea farina coctū feruidas inflammationes mirificè mitigat: Paul. Podagras refrigerat semen è psyllio: Plin. Salutare est semen psyllij madefactum in aqua, admixtis in heminam seminis resinæ colophonæ cochlearibus duobus, thuris vno: idem. Psyllij semen aqua feruenti maceratum, & postquam succulentum factum fuerit,

pro cataplastmate impositum dolorem bilioſæ podagræ tollit: Aët. qui emplastra tria ex psyllio podagricis inflammationibus commodalib. 15. cap. 14. describit. In remittendo sedandove dolorem podagræ calidæ me sequens nunquam fefellit. Semen psyllij in aqua plantaginis vel rosarum infunde: dehinc mucilaginem extrahe, quam cum oleo rosaceo concute, & in hoc effectum mirabilem adinuenies. Aliqui in hoc parū aceti addūt. Et alij mucilaginé ipsam psyllij cum aceto extrahūt, & vsuprà cū oleo rosaceo concutiunt. Et alij farinam fabarum cum ipsa psyllij mucilagine: aut cū succo plantaginis miscent. Alij ipsam solam mucilaginem apponunt: Guain. Vide Hyoscyamum.

Pulegium podagris per se subvenit, impositum vsque dum rubescat locus: Diosc. Herba pulegio & pipere æquis partibus tritis in balneo coxam perfricabis vbi dolet: L. Apul. Pulegium forinsecus cataplastmatis modo impositum, tum ischiadicis, tum alios perfrigeratos rubificat: Aët. Pulegium ischiadicis impositum iuuat: Sim. Sethi. Ad morbū articularum pulegium in oxymellis quartario vel cyathis tribus ieiuno da bibere, eijciet bilem & saniem albam: L. Ap.

Pulmo marinus recens tritus & illitus podagras emendat: Diosc. impositus pedibus podagras sanat: Kiranides.

Pulsatilla Polonorum, czarne ziele, Sanicula fœmina Fuchsio, Astrantia nigra in Heluetia. Inter remedia Magnifici domini Ioannis Bonar &c. aduersus podagricos & ischiadicos dolores sequens reme-

remedium tanquam præstantissimum descriptum inueni. Accipe pulsatillæ radices diligenter depurgatas, & minutatim incisas infunde in aqua ardenti quàm optima per integrum diem naturalem; hanc deinde aquam in vitro cum cera diligenter obturato referua. Sequenti die ijsdem radicibus superinfunde aquam rosaceam, similiq̃ue modo per diem naturalem macerato, eandemq̃ue aquam in alio vase diligenter occluso serua. Deinde accipe castoreum bonum, ac si fieri possit recens, eiq̃ue infunde aquam ardentem in qua radices pulsatillæ maceratae fuerunt. Postea radices affusa aqua rosacea & castoreo cum aqua ardente iungantur, & in mortario vnâ contundendo misceantur, & in patella pauca terebinthina admixta ad lentum ignem frigentur, subinde pistillo subigendo, denique per pannum colentur, & addito oleo communi, siue de semine vrticæ & cera virginea, formetur linimentum, cum quo partes calidè in die bis inungantur: corpore tamen prius expurgato.

Punicū malū mediocriter coctum leuigatumq̃; affectis particulis (siquidem inflammatio partem teneat) imponere conducit: æstate quidem frigidum, hyeme autem tepidum: Paulus. Eadem mala prædicto modo præparata & applicata ad moderatos tumores laxos conferre autor est Alexan. Trall. Punica mala acida accipe, integra coquito cum aceto acerrimo, donec putamen eorundem perfectè dissoluatur. Dein in mortario contusum, & ad fermenti formam redactum, in farctumq̃ue linteo, pedibus dolētibus impone tepidum manè

110            MEDICAM. CONTRA  
& vesperi. expertum est: Nicol. Myr. sect. 3 8. num.  
167.

Pyrorum syluestrium farina cum hordeacea farina & aceto arthriticis imposita, confert: Diosc. in eupotistis.

**Q**uinquefolij radice decoctæ ius auxiliatur articuloꝝ (arthreticis & ischiadicis) coxendicumque cruciatibus potum: Diosc. Herba quinquefolium trita & cum oleo mixta pedes perunges, tertio die tollit pedū dolorem: L. Apul. Quinquefolij radicem & malicorij æqualibus partibus decoctis perfudi ac fovi, inquit Archigenes, circumdolentes partes in podagra pituitosa. Imò & tritis ipsis magis inflammata loca cataplasmatim modo contexi, atque hoc ipsum multis velut obluens & resistens remedium dolores expulit, aliquibus autem ut pharmacum nulli inferius mitigavit, rarissimè verò citra commoditatem apparuit: Aët. Herba pentaphyllos die Iouis collecta, & cum vino trita, in balnei solio potui data, ischiade laborantes citò sanabit: Marc. emp.

**R**ana. Podagricos dolores mitigat nitidum ranæ decoctum viscus oliuo: Q. Ser. Sam. Podagricis articulisque morbis vtile est oleū in quo decocta est rana, & ipsius intestina: Plin. Oleum ex ranis refrigerat: ob id podagram & alias arthritidis species calidas mitigat: Mes. Podagræ calenti admouerunt oleum de ranis, sed nullo fructu. Neque enim frigiditas in eo magna esse potest ab his capitibus, coquendo coctione tam longa, & ea in oleo sesamino, alteratis. Rectius meo iudicio ranæ virides



virides in syluis crebræ, vnguibus reptantes in altissimas quasque arbores, & sub noctem brexantes (vox enim earum vnica est brex) olco violato, vel omphacino, ad hos vsus incoquerentur: Syluius in Mes. Oleo de ranis vidi quosdam vtentes in podagra: sed in ea nullum magis præsentaneum vidi auxilium & absque periculo, quàm vt eam homo æquo animo ferat, expectans Hippocratis testimonium: Manard. in eundem. Georgius Pictorius insignis medicus hoc oleum, si sequenti modo pareretur, in podagricis & arthriticis dolorib. miræ efficaciam esse, Gesnerum docuit. In olei communis libram ranæ fluuiatiles quatuor iniectæ, cum suffocata fuerint, coqui debent in olla noua incrustata & obtecta, lento igne, donec carnes ab ossibus dissoluantur: tum extrahi, & in mortario trita rursus injici: cumque semel tantum in oleo efferbuerint, oleum ab igne remotum colatur ne quid feculentum remaneat, inde addes terebinthina lotæ & claræ uncias quatuor, & ad ignem miscebis non amplius decoquendo. Nec Sole, nec Luna lucentibus dextrum ranæ fluuiatilis pedem absconde, quem in ceruina pelle concludas, vt Apuleius Platonicus inquit, & per triduum super podagrici pedem dextrum alliga, & pariter de sinistro super sinistrum feceris: sedabitur dolor, & perpetuè à podagra fiet securus: Guain. Rasis lib. de ægritud. iuncturarum: Dixit tortor, si scideris pedem ranæ & ligaueris super pedem podagrici per tres dies, curatur: ita quod dextrum pedem ranæ pones super dextrum patientis, & è conuerso. Aqua destillata

*Patiçia.*

in mense Maio ex ranarum spermate (*fröschenleich*) imposita que podagra, mirè demulcet dolores & prorsus tollit: Gesl. in sec. parte Euon. Gyrinorum in tragopodagra mentionem facit Lucianus. Raphanum quidam vrunt, fumum que ex eo euaporantem affecta parte excipiant, mire que dolorem mitigare, sedare ve asserunt. Alij eius folia emplastrata mirabiliter conferre aiunt. Marc. emp. radices ex integro trita cū pane remollito miscentur, atque inde cataplasma factum, coxarum dolori imponitur: statim prodest. Radicula comestæ quadam proprietate articulari morbo laborantibus dolorem augent: Sim. Sethi.

Raporum decocto podagra fountur: Diosc. Raporum ius feruens podagris frigidis medetur: Plin. Rapi impositi in ignem, cocti que, pars interior pro cataplasmate imposita prodest: Diosc. in eup. Rapa in iure pingui cocta ad dolores podagricos sedandos efficacissima sunt: Manard. Emplastrum vulgare ab antiquis vsitatum: rapa minutim conteras ac in lacte vaccino decoquas, iuncturas que in podagra phlegmatica cum istis emplastra. Ego autem à quibusdam antiquis edoctus, ex rapis tostis & cum porci adipe contritis locum emplastrari iussi, & mirabiliter contulit: Guain.

Rhabarbari vsus in purgandis podagra calida laborantibus vtilissimum esse omnibus constare puto, maxime cū astrictionem quandam qua, ne materia in membra facile influat, impeditur, post suam actionem relinquat.

Rhaponticum epotum facit ad coxendicum dolores: Diosc.

Rici-

Ricini semen confert articulorum doloribus, podagricis, ischiadicis, si ex iure veteris galli decoctum hauriatur: Mes. Oleum cicinum, vulgò de Kerua dictum, prodest articulorum morbis, duritijs omnibus, &c.

Rorismarini semen podagris cum Ioliacea farina, & aceto tritum illinitur: Diosc. & Plin. Nonnulli pedes membrave aceto in quo rosmarini radix cocta fuerit, abluunt. Ges. in sec. parte Euon. docet oleum ex floribus rorismarini ischiæ dolori vile parari.

Rosaceum. In podagra à bilioso humore ad refrigerandum & leniendum vt particulæ temperatæ & doloris expertes reddantur, præstâtissimum est rosaceum, si quotidie affectis partibus inducatur, & sensim infricetur. Melius itaque feceris, si luteum oui admisceas, & veluti in vnctionem reducto affectas ita partes perfrices, tum vesperian te somnum, tum rursus manè. Idem verò hoc etiam ad præcauendum morbum tempore sanitatis valet, si quis somnum initurus, & manè progressu rus quotidie vtatur: Alex. Trall. In exacerbatione podagræ biliosæ forinsecus rosaceo vtemur, cum oui vitello, ac vino modico, conficta in super leniter parte: Paul. In podagra sanguinea post euacuatam sanguinem affectam partem aceto veteri tenuiam partium cum rosaceo rigare oportet, & præsertim si in alto hæere dolorum causa videatur. Etenim acetum propria sua tenuitate vsque in altum progressum, expeditam rosaceo viam exhibet, quod natura sua dolores lenire potest: Aëtius.

Rosaceum ceratum pulchrè aduersus calidas imperies resistere potest, præsertim si frequenter immutetur: verùm ceram refrigerare semel atque iterum oportet, priorem aquam mutando. Validius ipsum reddes, si vix acerbæ succum, aut portulacæ, aut albumina ouorum, & ptisanæ cremorem admiscueris: Alex. Trall. Rosaceum ceratum cum aliquo perfrigerante succo frige factum feruidas inflammationes mirificè mitigat: Paul.

Rubetæ cinis cum adipe vetere podagris articularibusque morbis utilis est. quidam & hordei cinerem adiungunt, trium rerum equo pondere: Plin. Articulis & pedibus prodest ranæ rubetæ exustæ cinis, cum sambuci coliculis tritis & seuo hircino vetere permixto & decocto, pariterque imposito: Marc. emp. Rubetæ multæ decoctæ in oleo cum summis thymi ramulis, & expressæ & illitæ per triduum continuè in camino balnei, podagricos sanant: Kiran. Ranam rubetam & adipis vrsinæ vncias tres cum olei veteris sextatijs tribus in olla rudi ad medias decoquito, deinde colato. Hæc vntio frequenter adhibita nervos arthriticis confirmat: Marc. emp. Acopon ex rubetis ranis describit Aët. cuius vsum ait esse manè ad podagricos, arthriticos, ischiadicos: affirmatque se nouisse ipsius vsu homines à podagra & chiragra toto corpore distortos post lauacrum in tantum conualuisse, vt citra omnem offensionem obambularèt. Atque similia acopa apud Gal. lib. 7. de comp. m. cap. 10. n. 3 1. 3 3. 3 4. 3 5. descripta habentur.

Quidam

Quidã acopon ex rana rubea in podagricis admittantur: Cæl. Aur. chron. lib. 5. Harum etiam Lucianus in tragopod. meminit.

Rubiæ radix ischiadicis pota cum aqua mulsa opitulatur. Crassam copiosamque urinam pellit, nonnunquam & sanguinem: bibentes tamẽ quotidie lauari oportet: Diosc. Rubia in medicina urinam ciet, sanat ischiadicis ex aqua mulsa, ita ut bibentes lauentur quotidie: Plin. Conueniet, rubiam quoque ducere potu: Q. Ser. Sam. Sunt qui rubiæ radicem ischiadicis in potu cum melicrato exhibeant: Gal. Radicem rubiæ contundito & cribrato, ac ieiunis cochlearium ex aqua calida ad horas tres aut plures bibendum præbeto, sanguinem per urinam educit, quotidie autem bibentem lauto: Aët. & Mar. emp. Ex rubia minore potest emplastrum fieri si torrefiat in patella & superponatur: vel si succus eius fricetur super locum in æstate. Et est optimum in gutta erratica quando saltat de manu in pedem: & è conuerso: & tunc ad alias iuncturas: Rosã Ang.

*Rubia  
minor.*

Rusci radices cum axungia suilla & sale, ad genuum dolores faciunt: Ant. Fumanel.

Rutæ cum anetho sicco decoctum ad coxendicum articulorumque cruciatus facit potum. Item articularijs doloribus ex melle illinitur: Diosc. Ruta syluestris cum anetho decocta podagricis & arthriticis in potu sumpta prodest: Diosc. in eup. Ruta syluestris & domestica, cum anisi decocto ischiadicis in exacerbatione pota auxiliantur: Aët. Idem oleo rutaceo irrigat ischiadicis mox post euacua-

tiones conuenientes factas: atque emplastrū molitorium ex ruta articulos manuum cōtractos mirificè emolliens describit. Ex ruta cum carne uarum passarum contrita fiat emplastrum pro podagra pituitosa: Guain. Ruta viridis trita cum salis modico ad genuum dol. facit: Ant. Fum. Ruta eos qui coxendice laborant ex frigido humore, si bibatur, vel cataplasmatibus modo imponatur, sanat. Podagricis quoque & genua dolitantibus, ob pituitolos humores, quā primūm (ταχίον, continuo, protinus) prodest, doloresque sedat. Verūm non solūm caliditate, sed naturali proprietate quadam ischiadicis iuuat. Sed podagrici qui medicamentum ex syluestri ruta confectum bibunt, malè vesicam afficiunt, in primis enim vesicam exulcerat: qui verò in vesica nō leduntur, plurimūm iuuantur: Sunt tamen aliqui, qui huic medicamento domesticam immiscunt potius, quòd minus noceat vesicæ: hæc omnia Sethi. Mesues & alij cūm fortiora diuretica exhibentur, ius pingue gallinarum ne viæ exorientur superbibendum cōsulerunt. Eadem ferè ante Sim. Sethi hisce verbis Aëtius scripsit: Ruta satiaua, scribit, pota, & in cataplasmate imposita, & infusa per sedem, coxendicū dolores soluit. In cataplasmate imposita podagricis genua inflata habentibus, citò auxiliatur, & dolores mox lenit. Syluestris rutæ vis ignea est & vlceratoria, maxime vesicæ. Quapropter etiam qui podagricum pharmacum bibunt, ex ruta syluestri cōstans, malè affectam vesicam acquirunt. quicumque tamè hoc medicamentum sustinuerint, manifestam operam ferunt.

ferunt. Nam ad arthriticos præcipuè commodum est. Quòd si de satiua ruta quid ammiscueris, securius erit, quanquam & ipsa satiua vesicæ incòmodet, sed minus quàm syluestris. Ruta syluestris folia frixa in sartagine cum oleo vel butyro, calidè loco dolenti apposita, antiquos articulorum dolores leniunt: Dulsanus Ducretus.

**S**Abuli lapis. Articuli sunt roborandi exiccantibus & adstringentibus: sed hisce non antè videndum est, quàm humoris nihil in articulis reliquum mansisse constet, quod in tophum indurari valeat. Efficacissimè exiccat & adstringit lapis sabuli si cum oleo myrtino & geranij radicibus in puluerem redactus misceatur, atque cataplasmatibus vice imponatur. Sic desiccet, vt cutem rugosam efficiat: Erastus in quarta parte Paracelsicarum disputat. & epist. ad Gesn. de lapidis sabuli natura, & ortu.

Sagapenum articulorum compaginibus quomodolibet admotum, potu, aut clysteribus, dolores eorum mirificè sedat: quoniam valentissimè humorum lentores in his cruciatus excitantes radicitus euellit, etiamsi in coxendicum aliarumque partium remotis profundisque locis ij deliteat. Discutit item compaginum duritiem emplastri modo impositum, addito aceto & capparum succo: Mes. Catapotia de sagapeno in officinis parantur.

Sal in oleo tritus, & articulis affrictus, omnibus qui præcauent, ne in podagricam affectionem incidant, magnificè prodest, si non valde siccam ha-

buerint intemperiem. Oportet autem eo uti manè & vesperi per omnem vitam. Sed & post inflammationum declinationes eodem utendum est. Atque ex sale frictio fomentum ad laxos tumores convenit: Paulus. Fomenta ex sale torrefacto frequentius mutata aptè ad tumores œdematodes accommodantur. etenim ab ipsis non modò leniuntur, sed etiam plurimùm iuuantur. Ego sanè novi Romæ quendam virum longè clarissimum, qui somno ex sale semper uteretur, atque hinc valde mitigaretur. Quod autem hoc opitulatur, omnibus est manifestum: nunquam enim læsionem aliquã articulorum, neque tophum excitasse compertum est: Alex. Tral. Operæ precium est nosse, quòd omnes qui se, ne in podagricam affectionem incidant, adseruare volunt, & præsertim eos qui humecta & frigida natura sunt, magnificè iuuant sales cù oleo quàm tenuissimè triti & adfricti, non quidem tempore inflammationis & doloribus instatibus, sed cùm hæc remittunt, nisi vehementer sicca temperie ægri sint præditi. Omnibus enim qui hoc modo fricantur, insitus calor augetur, & quod præter naturam est, discutitur, recrementa que consumuntur, & affecta membra fiunt robustiora, ac aduersus affectionem firmanantur, minime que ei obnoxia redduntur, maximè si diligenter singulis diebus manè & vesperi, vbi dolores quemadmodum dictum est remiserint, per omnem vitam hoc præsidio utantur. De quo sanè ausim confidenter pronunciare, inquit Philagrius, quòd etiam solum sufficiat his, qui vel maximè circa diætam delinquant, aut



aut immodicè refrigerantur, aut ægrotant ex labore, aut re venerea nimium sunt vsi, aut quemcunque alium fortem excessum admiserunt: Aët. & Orib. Sal podagras cum farina ex melle & oleo tritus leuat, ibi maximè obseruanda vsurpatione, qua quidem totis corporibus nihil esse vtilius sale & Sole dicunt. Itaque cornea videmus corpora piscatorum. Sed hoc præcipuum dicatur in podagris: Plin. Sale trito, oleoque decocto locus fricetur læsus: humores enim siccant: si etiam coquantur cum rosaceo, & cotoneis, aut rubi extremitatibus, aut pruni syluestris, idem efficit: Ant. Fum. Sale in sacculis calfacto mitigantur vehementes dolores ischiadici: Aët. Vbi impetus siue paroxysmus cessauerit & in calida & in frigida podagra, calida aqua marina diu fouendi sunt: vel si hæc nõ erit, aqua puræ feruenti salem adijcito. Scrib. Lar. Vinum aqua marina temperatum bibendum commendat Q. Ser. Sam.

*Velpelagialarices simul & Baccheia dona  
Sumere curabis.*

Coxarum dolores potus sal, & in saccis impositus candens leuat: Plin. item, sal clysteribus infudère ischiadicis. Vtebatur verò & alijs modis sale in arthreticis affectionibus: conficiebant enim ex coinguenta, linimenta, smegmata, emplastra, sales conditos, hæcque omnia plurimùm commendabant. Oleum ex sale chymica arte paratum, & per os assumptum, nec non foris illitum dolores egregiè sedare tophosque discutere Andernacus auctor est.

Salicis foliorum & corticum decocto podagras foueri utilissimum est: Diosc. Q. Ser. Sam. cap. de podagra depellenda:

*Ergo aq̄e & arreptam salicis frondemque librūmq̄  
Cum vino tere, sic contractos perline nervos.*

Plinius folijs salicis in vino decoctis foueri nervos utilissimum ait: atque folia cocta, & cum cera trita podagricis imponi. Ex folijs salicis fac decoctionem, in qua infusas petias superpone podagrae calidae ad mitigationem doloris: Guain.

Salvia decoctum, ipsaque folia fomentata conferre quidam dixerunt: Varignana.

Sambuci & chamæactis folia ijs qui podagra tentantur, cum seuo taurino aut hircino profunt illita: Dioscorides. Vtriusque sambuci cauliculi podagricis cum seuo hircino vehementer profunt: Plin. Q. Ser.

*Parua Sambucus item si hircino est condita seuo,*  
intellige, cohibet superaddita questus. Sambucus cum axungia verere tritus & impositus podagrae frigida prodest: Scrib. Lar.

Samia terra per aquam ad laeuorem redacta admixto oleo rosaceo commodum vtileque medicamentum est ad podagricas fluxiones calidas: Galenus.

Sandaracham tritam visco quecino excipe ac vtere ad topfos: Paul.

Sanguis hominis iuuenis destillatus ad arthritidem valet, si loca affecta ea aqua inungantur: Ges. in 2. par. Euon. Salem sanguinis humani articulo-  
rum

rum morbis, vt chiragra, gonagra, & podagre mē-  
deri scribit Andern.

Santalum rubrum priuatim defluxiones pro-  
hibet: incandescentibus inflammationibus, poda-  
grisque ex succo solani, aut sedi, vel portulacæ vti-  
liter illinitur: Matth. ex Mauritanis.

Sarcocolla pituitosas cruditates, ac crassos, &  
glutinosos deijcit humores, præsertim qui in  
compaginum & coxendicum cauitatibus deli-  
tescunt: Mes.

Sarcophagus, vide Afius lapis.

Scammonia radix coquitur in aceto, & cum  
hordeacea farina teritur, cataplasmate ischiadicis  
vtili: Diosc. & Paul.

Scarabei terrestres ricino similes vocantur tau-  
ri, nomen cornicula dedere. Alij pediculos terræ  
vocant. Ab his egestam terram illinunt podagris.  
Triduo non abluunt, prodestque hæc medicina in  
annum: Plin.

Scordij herba cum aceto acri aut aqua, podagris  
conuenienter illinitur: Diosc. Podagricis de phle-  
gmate valet scordion cū aceto temperatum: Isaac  
lib. præ. cap. vlt. Antidoti ex scordio annui vsus  
meminit Paulus.

Semperuiui maioris folia medentur podagris  
perse, & cum polenta illita: Diosc. Semperuiuum  
cum farina hordeacea imposita prodest: idem in  
eup. Aizoum in primo impetu podagræ rubentis,  
hoc est calida, prodest: Plin. Semperuiui succo di-  
ligenter cocto vtere ad podagram: lib. 3. eup. Gal.  
attrib.

Senecio herba per se trita & ieiuno in potu data, validissimè ad lumborum & coxarum dolorem prodesse fertur: atque eadem trita cum sale, & vt malagmatis genus apposita pedibus, æquè ad podagram proficere certum est: L. Apul. Vtrilibet podagræ conuenit erigeron cum axungia: Plin. Radicis erigeronis drachmam ischiadicis cum oxy melite ab ambulatione quidam propinauère: idem. Herba senecio in cibo sumpta, coxarum & lumborum dolores certissimè sanat: Marcellus emp.

Serides, vide Intybi.

Serum caprinum tantæ efficaciæ quidam esse confidèter affirmât, vt hominem omnino liberum à podagra & articulari morbo præseruet, nec qui eo vtetur sanguinis missione alijsve remedijs opus habeat, si quidem in sex rebus non naturalibus rectè se gerat: hocque certa multorum experientia constare afferunt: sequenti autem ratione exhibendum consulunt: Lactis caprini optimi recentisque quantum placuerit accipito, coagulo cogito, serum diligenter transcolato, colatum olla excipito, ad lentum ignem coquito, inter coquendum curiosissimè quoad haud amplius spumet, despumato: Deinceps ita decoctum solum per se ad tertiæ partis remanentiam coquito, denuo colato, idque toties facito quoad prorsus nihil lacteæ spumæ reddat. In tali sero optimè purgato infundito foliorum borraginis pugillum vnum: quod si in arthritico abundans pituita, quod sepius euenire solet, fuerit, addito etiam iuæ, betonicæ, saluiæ ana

ana pugillum medium: Sin atra bilis abundauerit, (Hic admonendum lectorem puto artuum dolores, Raze medico teste, ab ipso nigro humore quã rarissimè prouenire, vt propterea existiment nonnulli Galenum in catalogo humorum articularem morbum facientium, atram bilem non ascripsisse, vtpote à qua dolores articulorum non nisi insolenter & rarò fieri posse intelligeret: vetante scilicet eius crassitie, & terrea substantia, ne intimè, ac in penitiores ossium, membranarum, & compaginum partes adigatur) apponito senæ, epithymi aliquantulum: denique pro humoris abundantis ratione simplicia infundito. Cùm autem dolor infestauerit, sero dicto modo preparato vnam vel alteram drachmam agarici electi & in petia ligati infundito, vnaque leuiter ad ignem bullire finito, colato, vncijs decem vel duodecim, plus minus, prout ægri vires, alui lubricitas astrictiõve, postulauerint, mellis rosacei, vel oxymellis simplicis, aut potius squillitici vncias duas admisceto, ægroque manè ieiuno stomacho quàm calidissimè ferre poterit, propinato, ipseque assumpto medicamento quatuor horis à cibo & potu abstineat: nec aberrauerit si paulum superdormierit, maximè cū agaricus in præparatione additus fuerit. Singulis autem mensibus septies vel octies huiusmodi serum absque agarico paratum, alternis scilicet diebus, prout aluus astricta fuerit, bibat: aluo namque humidiorè existente abstineat. Sed addatur agaricus inchoante vere & autumnò: item æstate & hyeme, & cùm dolor ægrum infestauerit, vel æger

paroxysmum futurum veretur: tunc enim inuadens malum auertimus, commodissimeque ægrū præseruamus. Hic est saluberrimi ac certissimi remedij à maximis viris comprobatus vsus, quo & tu optime lektor tutissimè vti poteris. Hæc ex literis doctissimi, D. P. imperatoris Ferdinandi, medici D. Stephani Lauræi literis ad me scriptis: nec non ex curatione 29. cent. 5. Amati Lus.

Selamoidis grana albo veratro miscentes veteres quidam podagris in vino ad detractiones dabant: vide Plin. lib. 2. 2. cap. 2 5.

Seseleos Æthiopici salsum apophlegmatico & oleo pondere drachmæ æqualiter mixtum, calculos renem & vesicæ comminuit: tartarumque omnem, qui in cavitatibus corporis continetur, resoluit: atque (cùm simul sudores moueat) aduersus hydropem & podagram, diluculo quouis quantitate eadem vtiliter adhibetur: Turneisserus.

Sideritis dolorem arthriticum sedat cum pane & musco & symphyti radice imposita: Arctæus: *ἢ σιδιμεῖς ἀπὸνος ἐὼν ἄρτων, καὶ βρίου, καὶ συμφύτης ρίζα.* interpret hoc in loco aliter, sed non bene, legisse videtur.

Siluri muria ischiadicis infusa medetur: Diosc.

Sinapeos semen ad coxendicum cruciatus impositum confert: ex alto enim extrahit: Diosc. Ego sanè noui, inquit Alex. Trall. quendam solo sinapi in magnis dolorib. à frigido humore ortis vëtem, dolore liberatum. Admiscbat ei frequenter ficus siccas, & acetum, eaque subigens emplastri figura medicamentum sic imponebat. Vide Euphorbiū.

Sinapi

Sinapi confert podagris pituitosis: cum caticis vero cataplasmatis modo impostū, ischiadicos sanat: Sethi.

Smyrniij semen commodè datur ischiadicis in vino: Diosc. in exacerbatione addit Aëtius. Datur ischiadicis cum crethmo in vino: Plin.

Solanum podagræ calidè prodest: Scrib. Lar. Vide Hyoscyamus. Solani halicacabi, quod quidam vesicariam nominant, granorum oleo sumpto in potu cum modico oleo amygdalarum dulcium & saccharo, non vidi medicamen ad podagram vtilius, inquit Razis. Nimirum vrinam mouendo prodest.

Sory ischiadicis ex vino infusum auxiliatur: Diosc.

( Spartium, vide Genista.

Spicæ oleum simplex podagris vtilissimum describit Gesn. par. 1. Euon. iubet autem linteola in eo madefacta dolori adponere, affirmatque rarissimè fallere etiam humore peccante non considerato.

Spinæ ceruinæ fructu proximis annis Italiæ medici primùm in curandis ægris vti cœperunt, hos deinde Germani & Galli sequuti sunt: omnes autem vt ipsi fatentur maxima cum ægrorum salute. Educit autem Reinerio Solenandro autore in primis serosum humorem, & aliqua ex parte biliosum, minus pituitosum, & crassum: sed & atram bilem eijcit teste Matth. Atque hunc Pena & Lobelius in suis stirpium aduersarijs reprehendūt hisce verbis: Spinæ infectoriæ vis est purgatoria, vnde

syrupus paratur, quo nostri præceptores iam multis ab hinc annis Lutetiæ vsi sunt: certiores virium quàm Senensis: vt qui non ad pituitam crassam & viscidâ, sed potius tenuem educendam, & impetum eius in articulos citatum auertendum & cohibendum prudentius vtuntur. Nam sine calefactione purgat, & nonnulla astrictiuncula partibus robur conciliat: neque liquefacit humores, vnde maior fluxus sequatur. Hæc illi. Excellentissimus & doctissimus Diui, Pij imperatoris Ferdinandi medicus Stephanus Lauræus in suis ad me literis scribit, se, ac Iulium Alexandrinum eiusdem Maiestatis protophysicum hoc medicamentum, domesticum, benedictum vocare: esseque medicinam securitatis, (liceat recepto more loqui) benedictam, medicinam familiæ: leniendo omnia excrementa purgare, nullumque vt ipse longa experientia didicerit graue symptoma inducere, præcipuè autem podagræ morbo, Gallico, & hydropi, cum alijs autoribus, conuenire asserit. Certum item esse scribit, quòd si cum iudicio & diligentia paretur, febribus quoque conueniens fore, minimeque cassiæ, vel manniæ, tuto multiplicique vsu cedere. Sed nunc præparationem quæ varia est, à simplicissimo modo incipiens, describam: is sic habet. *Collige* baccas maturas, sine per aliquot dies fermentari, deinde succum exprime, transcola, lento igne ad medietatem vsque coquito, relique medietati tantundem sacchari addito, vnaque ad consistentiam iulepi coquito. Hæc est simplicissima tam nobilis medicamenti confectio, à Matthiol. indicata cum scribit



scribit quosdam succum spinæ ceruinæ granorum ad resoluendam aluum cum saccharo decoquere. R. Solenander in doctissimis suis consilijs præfert sequentem compositionis rationem. Colligantur, inquit, baccæ mense Septembri (nam eo tempore matur uerunt) contunde in mortario lapideo, exprime, percola, coque ad quartæ partis consumptionem, iterum cola: excolati succi crassiorisque iam redditi accipe libram vnam, mellis optimi despumati vncias octo: coquantur vnà donec consistentiam syrupi bene cocti, aut eo crassiolem acquirant: coctis & iam penè auferendis ab igne, iniice masticis, cinamomi electi, anisi ana drachmâ vnam, scrupulos duos. Hac compositione se frequenter vsus in Italia, semperque alijs efficaciorum obseruasse scribit. Alij accipiant succi libram vnâ, sacchari ℥.iiij. mellis ℥.ss. cinamomi, anisi, nucis moscatæ, ana ℥.ij. coquunt prædicto modo. *Alexius Pedemontanus lib. de secretis septimo diuersum ab his compositionis modum, qui tamè alijs quoque vsitatus est, describit. In Septembri, inquit, sumito spinæ ceruinæ acinos maturos, quos pruina prius tetigerit, quot volueris, contundantur parum, deinde cum in vase aliquo vitreato in loco calido per dies decem fuerint, prælo succus exprimitur, cui in singulas libras succi, mellis colati libra addatur, & ad ignem lentum donec syrupi modo consistat, coquatur. Quo facto addito cinamomi contriti ℥.j. gingiberis in puluerem redacti vncias duas, misce bene, & seruetur in vase ligneo diligenter occluso. Quantò autem plus inuete-*

rascit, tantò etiam perfectius euadit. Valet autem hic syrupus ad podagram potius, quàm aliam aliquam affectionem, quoniã dolores mitigat, corpusque prauis humoribus purgat. Hæc Alex. Ped. Vtus est sumere duo, tria, aut etiã quatuor cochlearia in iusculo pulli per horam ante cœnam vel prædium: quidam vncias tres vel quatuor exhibent. Hæc de nobilissimi huius medicamēti viribus, præparatione, vsuque copiosius scripsi, quòd nemo hæctenus sufficienter de eo scripserit.

Spongia ex posca in artuum exacerbationibus nonnullis profuit: Aretæus. Vehementes dolores multùm lenies, beneque facies, si etiam spongiam vino mediocriter astringente imbutam affectis particulis superimponi iusseris: sin tale vinũ desideretur, posca madefactum: Alex. Trall. Spongia vel Rhodia, vel Africana mollis ex aqua frigida podagræ calidæ prodest: Scrib. Lar.

Stibium chymico more præparatum quidam fundunt pauculo calore (instar gummi namque liquefcit) & ad deploratam arthritidem illinunt: si intrò, terunt grana duo, aut ad summum tria: Ges. in secunda parte Euon.

Squilliticũ acetum datur ischiadicis: Diosc. Vinum scillinum commodum est podagræ, articulari, & comitali morbo: lib. 3. eup. cap. 250. Gal. attrib. Constat quidem certa experientia hoc vinum absque graui molestia difficultateque pituitã crassissimam incisam attenuatamque per superiora vomitu expurgare: ijs verò qui stomachum firmiorem habent, nec id euomunt, post aliquot horas aluum

aluum turbare, ac per deiectionem lentum humorem educere. Conficiendi modos lege apud Cronenburgium.

Strigmenta paleſtrica articularum nodos imposita adiuuant: ischadicis in fotus aut malagmatis locum, calida commodè ſufficiuntur: Dioſc.

Struthiocameliouapodagricis inuncta profunt: Kir. Nicol. Myrep. adipem ſtruthiocameli miſcet acopo ex vulpe in oleo cocta: item vnguento 12. ad arthriticos. Eundè Paulus iniicit in emplaſtrum diacinnabreos ad tophos aliosque tumores induratos.

Styracem cū ieiuni hominis ſaliua emollitum, hoc eſt manducando attritum, tophis pedum imposito: Aët. Styracinum oleum iuncturis confert, eorumque durities inſigniter emollit.

Sulphur podagris cum aqua & nitro illitum confert: Dioſc. Ego Rafis iuſſu ex ſulphure ſubtiliſſimè trito & cū pice miſto emplaſtraui ancham, coxendicem, & plurimùm contulit: Guain. Sulphurata aqua tumores euocant & diſcutiunt. Medentur ergo chiragre, podagrea, coxendicum, aliorumque articularum morbis. Vide autores qui de vſu thermarum ſcribunt. Ego quidem non laudo tam frequentem thermarum vſum, plurimis namque experientia maximè nocuiſſe edoctus ſum, poſemque ſi neceſſarium iudicarem plures nominare: ſed prudens & doctus medicus facilè quibus conuenire contràve ſoleant, intelliget. Non modò verò aqua ſulphurea, ſed etiam exhalationes &

vapores sulfurati articularum morbis conueniūt. Vide Georg. Agricolam lib. 4. de natura eorum quæ effluunt ex terra: & Andream Baccium lib. 4. de thermis cap. 5. de sudatorijs naturalibus doctissimè ac copiosissimè scribentem. Oleum sulfuris per distillationem, & citra, contra dolorem podagræ frigida præparare docet Ges. in Euon.

Sus. Cataplasma quod eadem hora dolores podagricos non valde magnos sedat. Cerebrum porci cum amylo & rosaceo tritum, & panniculo infartum imposito, & confestim liberabitur æger, vt deambulare possit: Aët. Idem emplastra duo è perna callosas instar tophorum concretiones dissoluentia describit: ac Nic. Myreps. similis efficiæ vnguentum sect. 3. n. 25. Suis siue porci adeps cum aqua & cumino subacta, podagricis opitulatur: Sim. Sethi. Quidam lardum folijs lauri cõfixum affantes, destillantem pinguedinem excipiunt, eaque arthritica membra inungunt: Veni mecum. Calcaneus porci à proprietate membra confortat, vnde versus:

*Calcaneus porci stomachi leuat anxietatem:*

*Et dolor arthreticus ipso solo remouetur.*

*Sed plus aduritur: quoniã tunc melius medicatur:*

*Sipuluis inæ sibi soli permisceatur:*

*Et tunc compositi nomen puluis Saracenus.*

Hæc autor rosæ Anglicæ. Quidam hunc puluerem ita parare docent: ℞. pulueris iux ℥. ℞. calcanei porci bene vsti ℥. ij. anisi, gingiberis, masticis, turbith añ. ℥. j. misce, fiat puluis subtilis. Sumitur de tertio in tertium diem in aurora, vel vesperi ad lecti

adlecti ingressum quantitate nucis auellanæ cum medone.

Symphytum in petris nascens, cum vino mulso decoctum, potum ischiadicis in exacerbatione auxiliatur: Aët. Ad inflammationes podagricas non valde feruentes commodum est symphytum per se pro cataplasmate impositum, & cum pane aut cerato permixtum: idem.

**T**Acamahaca resina Indica imposita per se, aut resoluta cū cera, doloribus frigidis plerisque, arthriticis aliisque plurimū auxiliari dicitur: putat tamen quidam haud in augmento adhibendam. Rebus nouis & peregrinis plerūq; plus adscribitur quàm par sit: oportet autem interdum vitis magnis non vulgaria remedia præscribere: Gesn. in epist. ad me scripta.

Terebinthi folia viridia & tenera cū adipe suillo recenti & rosaceo, modica cera adiecta in principio podagræ pituitosæ imponit Aët. & terebinthi virgulta inter astringentia simulque discutientia pharmaca, quibus necessariò vtimur ad crudos & dolentes tumores, numerat.

Terram nigram, quæ præsertim in lenticula reperitur, aut etiam aliam nigram cum aceto terito, ac illinito. Sedat dolores & inflammationes etiam in his qui multa prius experti nihil profecerunt: Aët. inter acopa ad podagricos & ischiadicos dolores, est que num. 36. Atque idem lib. 2. de terræ ad isch. & pod. vsu in hunc modū scripsit: Ad ischiadicos, inquit, & omnes neruosarum partium perfrictiones, sampsuchum vitulinorum ossium de-

cocto coquito, eoq̄ue terram albam subigito ac vtitor. Aut anguillam cum sale & nitro coquito, & decocto terram subigito ac vtitor. Aut coitum, cassiam, iuncum odoratum, aspalathum, xylobalsamum, & sampsuchum contusa, in aqua & oleo coquito, lutoq̄ue permisceto ac vtitor. Aut caprarum simum ac bubulum, simul cum sorde cerati raphanini terito, ac ad terram ammixtis vtitor. Ad podagram, à capite vsque ad inguina ex prædictis æger integatur, ab inguine autem infra vsque ad digitos pedum & vngues, ex subscriptis. Vituli pedes posteriores vnâ cum vngulis exurito, terito ac terræ misceto, & vtitor. Aut lapidem leucographidê cum aqua in qua ferrû sapius extinctum est, terito, & aluminis vnciam vnâ addito, ac cum terra subigito & vtitor. Aut decocto foliorum cypri, id est ligustri, terram subige ac vtitor. Aut gallas donec flaccescant coquito, &c. Plura apud ipsum legere poteris: ego saltem simpliciores terræ in podagricis vtendi modos huc transcribere volui.

Testæ ex fornacibus tritæ, & cum aceto illitæ podagricos iuuant: Diosc. & Paul.

Testium auulsio tuetur hominem à podagra: Card. de subt. Vide Scal. exerc. 277. ad Card.

Testudinis pedem sinistrum super sinistrum podagrici, & dextrum super dextrum per triduum ligabis, sedabitur dolor, & perpetuò à podagra fiet securus Sexto Placido teste: Guain. Dixit Hamech, & cum eo concordat (lib. de agrit. iunct.) Rasis, si accipis pedem dextrum testudinis & stringas in panno, & ponis super pedem dextrum podagrici, confert

confertei: & similiter sinistram sinistro: & idem est de manibus: Varign. in secretis. Ad ischiadem physicū remedium: testudinis aquaticæ crus præcide, & phœnicio inuolutum ex ea parte, qua quis ischiadem patitur, appone, potenter remediabitur: Marc. emp. Reinerus Solenander in quodam consilio sequentia scribit. Addam hoc naturale remedium (lubet sic nominare quæ Græci *φωνα* & *φωνα περιπία* vocant) cuius experimentum ego vidi hisce meis oculis. Cū anno quinquagesimo quinto Neapoli medicinam facerem, vsus sum familiariter episcopo Stabienſi Ioanne Fonseca Hispano theologo, is grauiter laborabat arthritide: qua propter cū vbique auxilium imploraret, remedia quæ vndique conquireret, intelligit monachum quendam, ex ijs qui sub Pausipulo monte ante portam habitant, ex graui arthritide curatum esse, remedio quodam ex istis quæ alligantur: accersit monachum ad se vt intelligeret, curatusne esset, & quo remedio. Monachus venit sexagenarius, narrat se quotannis arthritide corripitur, in quæ plures menses detineri morbo tam graui, vt etiam post paroxysmum pedes suum officium non facerent, nisi inniteretur baculo: addit se varia & multiplici curatione vsus, nihil profecisse: tandem se incidisse in Siculum quendam, qui pro experimento certissimo, quod subscribemus, docuerat: quo postquam vsus esset, cœpisse paulatim melius habere, atque iam multis mensibus liberum esse à paroxysmo, genua quæ humore mirum turgida fuerant, desedisse, cæterosque pedum articulos

egregiè detumuisse, adèd vt iam membra agiliora sine scipione leuantur. Remedium hoc est: Accipiat<sup>r</sup> testudo masculina (cognoscetur inter cætera ex caudæ discrimine, & leui sub inferiore testæ incisura) vbi Luna fuerit maximè lumine diminuta, priusquam cum Sole coniungatur: amputentur viuè crura omnia, ea confuta in sacculos ex pelle hœdina angustos alligentur membris patientibus, ita vt dextrum crus testudinis, dextro cruri ægrotantis respondeat, sinistrum sinistro. Quo loco alligari debeat non expressum fuit à medico, monachus supra genua suspenderit, & in brachijs supra cubita. Hoc remedium cùm fuit à monacho expositum Fonseca, tum temporis non adfui: postea cùm episcopus hæc mihi retulisset, voluit vt ipse monachum conuenirè, & omnia diligenter considerata intelligerem, si quid aliud desideraretur in remedij suspensione. Conuenio ipse monachum, colloquor, nihil intelligo præter iam à me scripta: contrecto iuncturas, inuenio detumuisse: & quæ ipse ante aliquot menses suspenderit supra genu, tumore dissoluto iam deciderant in pedes, & parum aberat, quin exciderent: cùm rogarem quid causæ esset quare non paulatim stringeret alligata pro ratione tumoris decrepescens: respondit se expectare vt omnino tumore resolutò, exciderent. Addidit ex his cùm alligantur aliquid putrescentis odoris expirari, sed statim illud difflari exiccatis cruribus sanguinolentis, nihil præterea incommodi esse retulit. Is idem monachus longo itinere per varios ambages, me pedes è cænobio eduxit, vt ostendat



ostēderet quā se rectè haberet. Postquam rem se ita habere intelleximus, aptauimus idē remedium episcopo Strabiēsi, quod postquā alligassem, cœpit habere paulatim melius: quo tempore virum reliqui, neque intelligere postea potui, an penitus conualuerit. Horum omnium, & multi alij docti viri testes esse possunt, & præcipuè excellentissimus nostro seculo medicus Ioannes Argenterius fidem facere debet, qui cūm hæc agerentur præsens fuit. De differentia testudinis nihil addidit monachus: tamen si quid inde auxiliij sperandum sit, arbitror in podagra frigida applicandas terrestres: in calida aquaticas: nam illud discrimen obseruare soleo, ab alijs primū edoctus, in vnguento quodam quod ex testudinibus ad arthritidem compono, quo aliās feliciter sum vsus. Hucusque Solenander. Sanguis testudinis terrestris recens copiosè cuidā acopo ad dolores podagricos & ischiadicos Asclepiadis apud Galen. & Aët. affunditur. Ex hac quoque testudine quæ in paludibus viuit, aliqua contingūt auxilia. Tres namque in succēsa sarmenta deiectæ, diuidentibus se tegumentis rapiuntur. Tum euulsæ carnes earum coquuntur in aquæ congio, sale modicè addito. Ita decoctarum ad tertias partes succus paraly sin & articulares morbos bibentibus bibitur. Detrahit item fel, pituitas, sanguinemque vitiatum. Sistitur ab eo remedio aluus aquæ frigida potu: Plin.

Thapsiæ radice succus articularum valetudinibus diuturnis vtiliter illinitur: Diosc. Thapsiæ succus illitus breui tempore arthriticis quibus in cute

fluxionem excitare velis prodest: idem in eup. Ipsa thapsia cum olibano & cera ana mixta & imposita podagræ magnum præstat auxilium: sed antequam imponatur, & post cum auferatur, locus cum aqua calida irroretur & lauetur: minusque duabus horis super locum relinquatur: Varig.

Thlaspeos semen ischiadicis infusum per clysterem prodest: Diosc. cruenta euacuando. Nam & aliàs biliosos humores sursum ac deorsum purgat, si acerabuli mensura bibatur: Paul. Gal. Aët. Ischiadicos etiam thlaspeos semen sanguineum humorem vacuans per anum impositum, iuuat: cum centaurij verò minoris decocto nonnulli infundunt, ac biliosum humorem vacuat, sed si sanguineum educat, magis proficiet: Oribas.

Thymum ischiadicis cum vino & polenta impositum subuenit: Diosc. Dato ieiunis articulari morbo laborantibus, thymi aridi minutissimi drachmas quatuor cum oxymelitis cyatho. Bilem enim, reliquosque humores, atque acrem sanie euacuat: Aët. Contra podagram, etiam que motum omnino interceperit, cum vino vtilissimè propinatur: Matth. ex Aët. qui hoc experimento constare affirmat.

Tinca mediterraneis, in artuum doloribus sopiendis, torpedinum vice adhiberi poterunt: Ges.

Tithymallus vulgaris vsus pituitam vehementer deijcit, & atrum quem vocant succum, pariterque pituitas ad articulos decurrentes: ob id horum doloribus confert: Mes. Aëtius ischiadicos ante illationem vnguenti ex pæonia radice, ex succi tithymalli

malli guttis quinque tantum cum caricis acceptis, aut ex corticis tithymalli cremore præpurgat. Corticem autem ipsam contusum & cribratum quatuor scrupulorum pondere in vino per integram noctem macerato: manè verò excolatum viuum præbeto. Tithymalli succi guttas quinque in ficum infusillato, & eius dato, purgat ischiadicis: lib. 2. eup. cap. 10. Gal. attrib.

Torpedo. Oleum in quo torpedo viua cocta fuerit, illitum aciores morbi articularis dolores mitigat: Paul. Torpedo tum marina tum fluuiialis, articulatijs doloribus adhibita, non in paruis solum, sed in magnis quoque inflammationibus congruit. Naturali enim facultate quadam stuporem inducit, & dolores è corporibus tollit. Quapropter ipsam viuentem assidue admouere inflammationis locis oportet. Cocta item adhuc viua in oleo, denique extracta, ac modica cera cum oleo eliquata, commodissimum pharmacum omnibus dolore afflictijs podagricis redditur: Aët. Torpedinem viuiam cum oleo & aqua in vas æreum, & cacabum conijcito, ne oleum vstum strepitum edat, ac herbam narcissum Luna desinente collectam adiungito, ipsamque cum animali incoquēs, vsque dum tota dissoluatur, & ossa nudentur, tunc tandem oleum ab aqua paulatim separabis, omnia facito Luna desinente, vngitoque egrum ter die, & si quidem articuli dolent, patiunturque, curantur: si verò non dolent, præseruat ea, ne vnquam doleant. Id autē facito, vngitoque ad dies tres, Luna omnino desinente. Nam si in alio tempore hæc facias,

non succedet: Al. Trall. Ad vtramlibet calidam & frigidam podagram torpedinem nigram viuam, cum accesserit dolor, pedibus subijcere oportet, stantibus in litore non sicco, sed quod alluit mare, donec sentiat torpere pedem totum & tibiam usque ad genua. Hoc & vi presenti tollit dolorem, & in futurum remediatur. Hoc Authero Tiberij libertus supra hereditates remediatus est: Scrib. Larg. Emplastrum est turpæna ad podagricos dolores mirabile describit Nicol. Myreps. sect. 10. n. 172.

Tribulus terrestris. Lauare membrum arthritico dolore affici solitum lixiuio in quo terrestres tribuli cocti sunt, à podagra præseruat: Amat. Luf. cent. 5.

Triticum. Q. Ser.

*Triticique acido manantes amne farina:*  
intellige, superimpositæ dolores cruciatusque podagricos cohibent. Item,

*Non audita mihi sit fas, sed lecta referre,*

*Hoc quidam captus morbo per tempora messis*

*Vicino plantas frumenti pressit acervo,*

*Euasitque grauem casu medicante dolorem.*

Plinius libr. 22. cap. 25. Sex. Pompeius prætorij viri pater, Hispaniæ citerioris princeps, cum horreis suis ventilandis præficeret, correptus dolore podagræ, misit in triticum sese super genua: leuatusque siccatis pedibus mirabilem in modum, hoc postea remedio usus est. Vis tanta est, ut cados plenos siccet. De vi tritici humores attrahendi lege Gal. lib. 1. de nat. facult. Farina frumenti ex aceto cocta, dolorem podagræ statim sedat imposita,

sita, sed lenius medicamen erit adiecto melle non multo: Marcel. emp. Tritici farinam cum oleo ad vnguenti formã decoquebat Rasis pro emolliendis tophis: summopere quæ laudat: Guain. Vide in pane.

Turpetum deiicit pituitam, crassos lentosque humores ad articulorum compagine defluentes, remotioresque corporis partes: ob idque ad dolores arthriticos vsus eius est: Mesf.

**V**Enenum. Ea vitæ conditio est, vt mori plerumque etiã optimi portus sit: tradatque M. Varro, Seruium Clodium equitem Romanum magnitudine doloris in podagra coactum, veneno crura perunxisse, & postea caruisse sensu omni æquæ quæ dolore in ea parte corporis: Plin. lib. 25. cap. 3. Meminit huius quoque Suetonius libro de illust. grãmaticis hisce verbis: Seruius cum librum soceri nondum editum fraude interceptisset, & ob hoc repudiatus pudore ac tediio secessisset ab vrbe, in podagræ morbum incidit, cuius impatiens veneno sibi perunxit pedes, & enecuit ita, vt parte ea corporis quasi præmortui vixerit. Constat hoc venenum ex narcoticis fuisse.

Venus. Ausi sunt quidam etiam venerem adhibere, in ijs qui non ex vsu venereo ischiadici facti videntur, quo magis vexata neruofitas geminet causam: Cæl. Aur. de ischiadicis. Vide Gal. cõment. 5. in sextum epidemiorum in dictione, Venus pituitosis confert morbis: & paulò post in dict. Augescētes morbos coitus siue mixtio iuuat. Item Arist. sect. 4. probl. 17. Lege contradictionē quar-

tam tractatus quarti lib. I. contradicentium Cardani. Sed generatim, omnes arthritici sibi à nimio Veneris vlu caueant, frequens enim concubitus corpus soluit: Hincque epigramma Græcum ait:

Λυσιμελὲς Βάκχῳ, Ἐλυσιμελὴς Ἀφροδίτης

Γενῆται θυράτηρ λυσιμελὲς ποδάρχα.

id est, interprete Cl. V. Iul. Caf. Scaligero in Ata inscripto poemate, pagella sexta,

— *ē soluilumba Venere, soluilumbóque  
Baccho, creata est soluilumba chiragra.*

Veratrum nigrum arthriticis prodest: Diosc. Podagricis veratrum mirificè, sed in primis morbi inuasionibus succurrit: Aretæus. Veratrum nigrum podagris veteribus, articularijs morbis, ischiadicis medetur: Plin. Non latet nos quosdam veratro ad ischiadicos vfos esse. Scimus item veratrum efficaciter auxiliari: Aët. cum antea vomitū per internalla siue à cibo sumpto, siue à raphanis conuenire scrip sisset. Quidam veratrum albū cum apio coquunt, eoque decocto membra arthritica illinunt.

Verbasci tenerrima folia cum bulbo, polenta & aqua cataplasmatū more imposta, profunt: Diosc. in eup. Verbasci folia cum bulbis & pane trita, aut cum polenta apposta iuuant: Paul. Verbasci herba contusa atque imposta, infra paucas horas dolorē efficaciter sedabit, ita vt etiam ambulare queat. Hanc impositionem autores præcipui proficere affirmant: L. Apul. Initio cruciatuum experimento cognouimus ante purgationem verbasci folia mirificè iuuare, quæ contusa ollæque recenti inie-

Et

Et ac bene adoperta, prunis accensis superpone, crebroque ollā moue donec animaduuerteris multū iam ea feruescere: deinde linteo apposita superpone sic vt partes etiā incolumes, sed vicinæ dolentibus, vndique tangantur: superpone autem calida quoad æger sufferre queat, nec remoue quando feruor durat: qui vbi refrixerit, superpone aliud, deinde aliud. postremò vbi terque quaterque mutaueris, colligato. quòd si rectè ac diligenter officium præstiteris, inuenies inde remedium dictū mirabile. Magis porrò iuuat quum humor in pollicem defluerit, quàm quum in alios quoque digitos: Autor incertus libelli de podagra impressi cum alijs medicorum libris à Henrico Stephano. Barbatus minuta & strictiora habens folia in vino coctus, & cataplasmatas ipso die facit hominem podagricum ambulantem: Isaac. Aqua verbalci, & oleum florum eiusdem, mirabiliter ad podagram profunt, cuius experimentum iam factum est in muliere arthritica, quæ admirata dolores tam citò sedatos, & metuens ne narcoticum esset remediū, oleo vti recusauit, itaque post mensem morbus repetijt. ℞. thapsi barbati cum floribus & radice, infunde contrita in vino rubro, & putrifica per duos menses, deinde distillabis. Linteo intincto locum affectum tegas, quàm calidissimè ferre poterit: hoc bis aut ter repete, per triduum inunge oleo, & si fortè redierit dolor, iterum vttere, & deinceps non repetere solet: Ges. in 2. par. Euon. Item oleum factum ex floribus thapsi barbati cum oleo & vino, soli que expositum, vel in duplici vase decoctum,

valet in dolore sciatico: ibidem. Oleum è florum verbasci multiplici infusione efficacissimum est ad sedandos arthritidis sæuos cruciatus: Lobelius in stirp. obser.

Verbenaca recta pituitosæ podagræ siquidem moderatus est dolor adhibeatur: Paul. Verbenaca cum axungia trita podagræ medetur: Plin. Verbenaca illita, aut si pedes macerentur in eius decocto, medetur podagræ: idem. Verbenaca recta ischiadicos & podagricos cataplasmatibus modo imposita iuuat: Sim. Sethi. Verbenacam ad podagricos & ischiadicos in vino decoctam exhibebis: Aët.

Vermium terrenorum cinis cum melle, ita vt tertio die soluatur, triduo emplastri modo impositus, podagras lenit. Alij ex aqua illinere malunt. Alij ipsos aceto mēsurā cū mellis cyathis tribus, pedibus, antea rosaceo perunctis: Plin. Terreni vermes etiā in medicum vsū veniunt. quandoquidem oleo incoquantur ad articulorum neruorumque cruciatus. Verumtamen aberrant plerunque myropolæ in olei conficiendiratione. Imponunt enim vermiculos in æneum cacabum, & affuso inde oleo igne feruefaciunt. quo fit vt paruo momento ij non modò inassentur, sed penitus comburantur, nullo in oleo humore relicto. Fit autem rectius, cū vase vitreo excipiuntur, & diutius calore balnei macerantur, oleo innatantes: namque hoc modo eorum succus elicitur, comburique nequeunt. Præstat hoc oleum ita paratum, præsertim si vermes rosaceo macerentur, ad podagricorum dolores, à calidis defluxionibus prouenientes, inunctis prius



locis dolentibus oleo, ac mox superpositis vermibus in eò elixis, tuis, admistisque cum æquali cerati pondere, quod tripharmacum vocant, ex argenti spuma, oleo, & aceto conflatum. Adhæc terrestres vermes prius vino albo eloti, ac per se absque oleo vase vitreo excepti, operculato vasis ore, ne quid expirare possit, in balneum calentis aquæ immerguntur, tamdiuque efferuescere permittuntur, donec in liquorem oleo similem vertantur: Matth. Triti, ac rosaceo subacti podagricorum inflammationes extinguunt. Gal. Vermes terreni si in oleo coquatur, & cera postea in oleo liquecat, commodissimum pharmacum omnibus dolore afflictis podagricis redduntur: Aët. Vermiculos terrestres in aceto per noctem manere curabis, vt se omni sorde purgēt, manē eos siccabis, & ex his nouem in libram axungie mittes, & diutissime cōteres vt vnum corpus efficias, & pro cerato vteris ad sedandos pedum quamlibet molestos dolores: Mar. emp. Vermis terrenus exfoditur, & in ligneo cauco ponitur, si fieri potest fisso & ferro alligato. tūc aqua perfunditur, rursusque eodem loco vnde prolatus est defoditur, aqua verò in qua dilutus est, in eodem poculo bibitur ab ischiadico ob insigne remedium: idem. Videtur autem & hoc insigniter superstitiosum esse, sicut plura apud eundem autorem remedia superstitiosa ridiculaque leguntur.

Vini potus an ad præcautionem arthritidis conferat, sicve in accessione commodus, doctissime Franciscus Valleriola enarrationū medicinalium

lib. 2. enarr. 4. exposuit: quare ne diuersas plurimum aliorum sententias transcribere necesse sit, erudita Vall. verba adscribam. Is igitur, in indicatione quidē à morbo sumpta, inquit, in arthritidis accessione vinum minimè confert. Nam quod fluxionē concitat, & nervosam substantiam omnem promptissimè offendit, eoque morbum auget, id ipsum minimè conuenit. Tale autem vinum est: Itaque minimè ex vsu erit. Vnde illud meritò dixisse Auicenna visus est. Et oportet (inquit) vt dimittat vinum omnino vsque quo sanetur ex morbo sanatione integra. Curationem vtique arthritidis ex professo tractās: idque ratione certè optima, quod à parte fluxione tentata quàm longissimè auertere, non ad ipsam humores trahere (vel Hippocratis & Galeni sententia) expediat. Trahit autem ad articulos vinum calore & potentia sua succos; quam obrem per accessiones minimè conueniet, idque indicatione tantum à morbo accepta. Nam si huic quæ à viribus sumitur indicatio repugnet, quum ea semper, vel Galeni testimonio, prima ac potissima sit habenda, dari tum vinum congruè poterit: vt à quo mox virium infirmitas reponatur, & corporis constitutio in meliorem habitum ducatur dicente Galeno:

*Fen. 22.  
terij  
tract. 2.  
cap. 7. ad  
finem.*

*Hipp. lib.  
de vulne-  
ribus.  
Gal. 4. &  
13. meth.*

*9. meth.*

*2. aphorif.  
comēt. 18.*

*Lib. 3. ad  
finē ferè.*

Τὰχιστα μὲν ἐν καὶ ἀθροῦσι τὰς οἴνος τρέφει.

Hoc est, celerrimè & vniuersum vinum nutrit.

Itaque vini loco per accessionum impetus, aqua mellis in qua anisi semen ad ventriculi robur & flatuum dissolutionem incoctum sit, ex Pauli sententia conueniet. Ego cinamomi decoctū ex hydromelle

melle per hyemem : per astatem simplicem ex Zaccaro potionem valde probo, si vis morbi vtgeat. Atque hæc de primo postulato, an in arthritidis curatione per accessionem vinum ex vfu sit.

De secundo, An, inquam, ad præcautionem vino illi perpetuò interdicens, hæc mihi statuenda videntur : vt præstantius sit, atque in rem præstantis huius viri fratris tui vtilius, vino modico nec potenti, quàm aqua potùve alio vti. Quæ ego vt existimem, multis, hisque validis ni fallor, rationibus adducor. Primum virium in hoc viro à morbi gravitate contracta infirmitas, summaque solidarum partium à doloribus, vigilijs, morbi longitudine facta consumptio atque exsiccatio.

Quibus symptomatis omnibus quum que præsentaneum atque securum exhibent alimentum, (quale sanè vinum præbet) commodè occurrant, fit vt præstanti huic viro etiam per secundam valetudinem vinum ex vfu sit.

Vnde Galenus de his loquens quos refici oportet: Potus, inquit, ijs opportunus est vinum, ætatem quidem habens mediocrem, in substantia autem purum atque pellucidum, quod scilicet vel subalbum vel subalbum existat, atque suaviter olens, gustui verò neque aqueum omnino, neque cum aliqua insigni qualitate aut dulcedine, aut acritudine sentiatur. Quamobrem cum renutritoria artis parte opus nunc illi sit (quam inter cætera vnicè vinum complet) tantum abest vt auferendum censeam, vt ex illius vfu maximum illi commodum proventurum sperem, si præsertim & modicè

*In arte  
medicinali ad  
finem.*

& sobriè (quod eum facere certo scio) eo utetur. Ad quod item facit ventriculi percepta ab eo ex aqua vsu imbecillitas, coctionis tarditas, flatuum pituitosi que sputi copia, viscerum maximè lienis cognita à nobis tenasio & duricies. Quæ sanè cuncta quum ventriculi & lienis, ob natiui caloris inopiã, infirmitatem indicent, subinde que crudorum humorum flatu inque redundantiam: fit, vt vinum maximo adiumento esse existimem: vt cuius sit facultas crudos humores concoquere, ventriculi & viscerum robur firmare, (si quidem aqua vel Galeni testimonio vetriculi robur exoluit) flatu discutere, natiuum excitare calorem. Quorum quum hic vir maximè egeat, in promptu certè est, summa illi ex vini moderato vsu commoda prouentura. Adde & consuetudinis indicatione, quæ cum magni semper momenti Hippocrati visa sit, ei vnicè inherendum (quoad eius fieri maximè potest) idem autor consuluit. Vnde illud rectè ab eodè dictum est: Quæ ex longo tempore consueta, etsi deteriora, minus graua esse solent. In quam cogitationem animum aduertentes, quicumque è nostris & ingenij præstantia, & doctrinæ claritate, & vsu magnum sunt nomen medendo, immortalẽ que gloriam consequuti, illud potius duxerunt & vtilius, quod esset consuetum, quàm quod consuetudini repugnaret. Vnde celebres in medicina factitanda viri Gordonius, Matthæus à Gradi, & ceteri eius notæ ob hanc ipsam consuetudinis vim in arthritidis præcautione vinum summouere valde veretur: etiam si id se Methodo facere posse sciunt.

Nec

7. meth.

2. de rat.  
Sist. 4-  
ent.

Nec obstat locus ille Pauli, quo ad præcautionē *Lib. 3.*  
 ab arthritide vinum omnino summouendum mo-  
 net: experientia vim in hoc iactās, multos hac sola  
 cautione ab omni profuso dolore in reliquum vi-  
 ta tempus incolumes vixisse. Quod etiam confir- *Fen. 22.*  
 maffe Auicenna est visus, inquit: Et vitent pota- *quart.*  
 re vinum plurimum grossum, imò omne vinum. *cap. de*  
 Nam etsi ad præuisionem, a quæ potum vino hi au- *cautela*  
 thores prætulerint, verentes ne à vino neruosum *ad dolorē*  
 genus lædatur, & præcipites in iuncturas ferantur *iunct.*  
 humores (quod facere vinum dicitur) tamen non  
 in omnibus id temperamenti, omnique in vniuer-  
 sum hominum naturæ id præcipere voluisse: sed in  
 his tantum, quibus sanguinis copia negotium fa-  
 cit, ille Alexandri Tralliani locus indicat, qui expli-  
 catis, docensque de his tantum debere id intelligi, *Lib. 2.*  
 quos sanguinis in articulos influxus arthriticos fa- *cap. 261.*  
 cit, ad hunc modum loquitur: In quibus (inquit) à  
 sanguinis influxu podagra fit, abstinendum omni-  
 no à vino his est, & ab his quæ sanguinem ite mul-  
 tum generant cauendum. Nam (subdit) multa vini  
 potio his quibus multum abundat sanguis, inimica  
 est. Et rursus de re tota concludens: Expedit (in-  
 quit) ista omnibus modis obseruare ijs, quibus flu-  
 xio ex plenitudine sanguinis accesserit.

An non apertissimè præcautionem hic ex influ-  
 xu sanguinis tantum docuisse videtur. alioqui cur  
 ad finem verba hæc adiecisset, talia obseruanda ijs,  
 qui ex plenitudine sanguinis laborarent? Aëtius  
 certè vnus omnium in re medica præstantissimus *Lib. 12. c.*  
 in bilioisæ fluxionis ad iuncturas decursu, atque *32. & 33.*

Cap. 20.  
21.22.

etiam pituitoso, vinum audacter concedit, intermissionis tempore: sic enim ait: A vino exacerbationis tempore omnino abstinendum est, de biliosa fluxione loquens: inter capedine autem pura red dita, parum ex eo concedendum. Et rursus, pituitosa fluxionis curam pertractans, vinum præbeatur (ait) quàm minimam interualli tempore, tenuem, fuluum, & vetus. Quæ eadem doctissimi est Rasis inter Arabes medici libro de iacetur. sententia: qui in accessione auferendum quidam vinum, in præcautione verò non omnifariam vetet, sed indulgeat potius, etiamsi de sanguine aut bile fluxio sit: sic enim de hac re, Si voluerit, inquit, æger bibere vinum, bibat parum, temperatū, hoc est probe, vt ego interpretor, dilutum. Et item de biliosa fluxione loquens: Dabis, inquit, ægro aquam cum vino. In ea verò quæ ex pituita, meraco quidem, sed pauco vtendum consulit.

Quod si summi hi in re medica viri, in omni temperamento etiam ad præcautionem vinum dare non verentur: cur nos præstanti huic nostro laboranti imbecillo viribus, ex angui, tabido, obstructione in visceribus & ventriculi imbecillitate affecto, vinum, vnicū vitæ & valetudinis subsidium, negemus? aut non potius suadeamus & consulamus? præsertim cum in illius vsu temperatissimus sit, sobrius & sui obseruans. Nam quum vinum nostri in arthritide prohibere sunt visi, non tam certè vinum, quàm illius intemperantiam sunt detestati: vt qui non à vino quidem, sed à multo & potenti arcendos ægrotantes censuerint: sic enim  
Gale-

Galenus ait: Οθεν ἀργίαι τε & ἀδδθηραγίαι βλάπτουσιν αὐτούς, βλάπτουσι δὲ & τῶν ἰσχυρῶν & πολλῶν οἴνων αἱ πίσεις, & μάλιστα ὅταν αὐτοὶ τῆς ἀσθενείας ἀνάγκη πρὸς αὐτῶν ἀσθενείᾳ πλῆρῆσι γὰρ ἐπιμῶς ἐπι τὸ νευρῶδες γένος, ὡς αὐτῶν & αἱ συνουσίαι.

6. aph. cō-  
ment. 28.

Vnde & desidix & crapulæ eis nocent. Nocent autē & potus multorum & fortium vinorum, præcipuè cum aliquis ea ieiunus potauerit. Hæc enim nervosam substantiam promptissimè offendunt, sicuti & coitus.

Vnde Hippocratis ætate ob vitæ parcitatē temperantiam quæ paucos omnino podagra laborasse, suis verò tēporibus, ac multò magis nostris, quàm plurimos affici claro testimonio affirmat. quòd plerique nihil exerceantur, & cruditatibus atque ebrietatibus eousque abundant, vt neque tellus, neque maria, vt Plinius ait, gulæ nostræ seruire posse videantur. Itaque dādum huic domino vinum per morbi remissiones, id quæ illi tutius fore certò affirmo. Sit autem vinū colore rubrum, liquore rene, aut mediocre, cum leui quadam acerbitate: tale enim Aëtius sanis & ex morbo conualescentibus cōmodissimum esse statuit lib. 1. ad finem. Quod si experiri voluerit aquæ potum per æstatem, ad breue tempus experiat: à qua si noxā in ventriculo senserit, mox ad vinum redeat: & vino quandoque etiam ex melle vtatur per hyemem, vt bellè Galenus monet, in quod petroselinī aliquantū indatur, tale enim podagricis aptissimum esse Galenus asserit. Hucusque Valleriola. Vide superius gramineum vinum. Lege contradictionem secun-

De sanis.  
tuend. l.  
5. cap. 7.

150      MEDICAM. CONTRA  
dam tractatus quarti libri primi contradicentium  
Cardani. Item superius in Lora.

Vipera. Quidam sale cum vipera cremato in olla noua, & sapius sumpto, aiunt podagra liberari: Plin. Theriaca ex viperis, quæ Andromacho inscripta est, utiliter exhibetur frigidioribus & magis humectis corporibus, forinsecus etiam commodè illinitur cum oleo veteri aut sicyonio dissoluta. Sales quoque theriaci his qui ex multo & crasso fluxu ægrotant, viles existunt: Aët. lib. 12. Ad podagram maximè incipientem, & omnino ad omnes articulari morbo affectos, vnicum salium theriacalium edulium constructum esse videtur. Adhortor igitur eos qui à podagra liberati sunt, vt eis continuè vtantur. Quidam verò vipers totas extendunt & siccant, posteaque terunt, ac eas in potu contra articulorum morbum exhibent: idem lib. 13. cap. 97. Viperarum coctarum esum podagricis & arthriticis, nec non neruorum affectionibus commodum esse Diosc. in lib. de mat. & in eup. autor est. Viperarum esum omnibus podagricis & arthriticis plurimum commoditatis affert, quemadmodum etiam anhelosis, & elephantiasi correptis: exigit enim per cutem omnia redundantia recrementa, siue calida siue frigida fuerint, quæ morbi ipsius sunt causa. Oportet autem crassa & viscosa ex ipsis prius attenuare ac euacuare: quod vbi factum est, reliqua facillè per viperarum esum euacuantur, nimirum ad cutem delata atque exclusa. Quapropter etiam in Sole ipsarum ferarum comestionem facere iubet, vtpote quod inde iuuentur, atque



atque vi caloris humorum delatio foras feratur: curandum tamen ne caput probè cōtegere ab estu negligamus. Oportet autem recens captas esse viperas, & iustæ magnitudinis, & non ex maritimis: tales enim siticulosæ existunt. Caterùm ex vipera ipsa tum caput tum caudam amputare oportet, item quæ interanea omnia abijcere, ac ex tribus aquis lauare, deinde cum aqua & anetho maximè viridi, & modi congruentis oleo coquere, & post sufficientem coctionem congruenti sale condire, ac viperam veluti anguillam comedendam exhibere. Porrò quidam ex harum comestione plurimùm exudant, & pediculorum copiam generant. (Hoc Gal. ijs euenire asserit, quibus plurimum mali succi in corpore exuperat.) Omnes tamen qui eas comederunt, maximè se alleuatos sentiunt. Quapropter his qui corpus recrementis exundans habent, etiam bis ac ter in anno exhibere conducit: bis quidem veris tempore, semel autem in autumno. Quòd si verò sint quibus corpus per insensibilem & obscuram transpirationem, aut etiam per sudores naturales euacuetur, his omnino viperarum esu interdicens. Periculosa enim fit huiusmodi ipsarum comestio propter immodicam per cutem exhalationem: Hæc Aët. lib. 12. Plura si placet de præparat. vip. legere, Gal. lib. de simpl. antidotis, theriaca legas. Quidam vtile esse aiunt & adipe viperino pedes perungi: Plin. Oleum in quo vipera vel serpens decoquatur, sanat sanitate integra: aut. rosæ Ang. ex Auicenna.

Viticis & semen, & folium additur in mala-

gmata neruorum & podagras: Plin. Viticis folia, præfertim arida, in durioribus corporibus & quibus tumores non dolitant, imponit Aët.

Vitis viniferæ folia quidam podagræ calidæ imponūt: Guain. Pampini vitium triti & impositi tumorem pedum mirabiliter exsiccant. Cinis quoque vitium cum axungia vetere subactus & impositus idem præstat: Marc. emp.

Vitrum in aceto probè tritum confidenter illinito: Aët. acopa ad dolores podagricos & ischiadicos describens.

Vituli marini acopum quidā in podagricis mirantur, alij pedes vnixerunt ex eius tergo calciamenta facientes, alij viuentem beluam oleo coxerunt, & specialiter vnctionis genus conuenire probauerunt: Cæsar. Aur. lib. Chron. f. cap. 2. Vituli marini adeps omnem dolorem & tumorem articulorum sanat: Kiranid. Phocæ pellis præcincta ischiadica loca confirmat: idem. Ex corio vituli marini calceari vtile esse podagricis articulisque morbis autor euporiston, & Marc. emp. Aduersus podagram vituli marini cinis & adeps prodest: Plinius.

Vlmi radicum corticis decoctum articulorum duritias emollit, & neruorū conuulsiones resoluit, si in fotu, vel balnei modum adhibeatur: Matth. Montag. folia vlmi calefacta loca dolenti & tumenti imponenda consulit.

Vrina virilis podagris medetur, argumento fultonium, quos idè tentari eo morbo negant: Plin. Urina

Vrina virilis ad spissitudinem rob decocta, & inuncta arthriticosiuuat: Arn de villa noua.

Vrsinum adeps, taurinumque seuum, pari pondere & ceræ podagris medetur. Addunt quidam hypocistida & gallam. Quidam fel vrsinum articulorum vitijs vtilissimum tradunt: Plin.

Vrticæ semen articulatis morbis & podagricis plurimi cum oleo veterè, aut folia cum vrsino adipe trita imponunt. Ad eadem radix tula cum aceto non minus vtilis: Plinius. Vrtica trita cum sanguine miluino aut palumborum permixta, atque ex eo pedes illiti efficaciter sanantur: Marc. emp. Vrticæ folia crudis durisque tumoribus non dolentibus imponit Aëtius lib. 12. cap. 40. & 41. Eiusdem semen & hirundinis nidum terito acillinito: idem. Semen & folia vrticæ cum adipe vrsi inuncta antiquis articulorum doloribus prodesse autor est Duls. Ducretus. ℞. vrticarum Græcarum, saluix, añ. m̄. j. salis p. j. contundantur, & in vrina frigantur, & de liquore locus liniatur: Arnold. de villa noua.

Vua passa alba podagræ conuenienter cum panna succo illinitur: Diosc. Vuam passam reiectis vinaceis cum lacte impositam, commodam esse ad podagram, idem in eup. scribit. Vuæ passæ mundatæ & ruta in simul pistata, & commixta valent podagræ phlegmaticæ: Isaac.

Vulpes. De vulpibus quæ totæ in oleo coquuntur (nam sic quidam curant arthriticos, partim viuas in lebetem ingentem injicientes, partim etiam

mortuas) fufius dicere mihi necesse est, quando-  
quidem plerosque vifæ sunt principio planè mor-  
bo hoc liberasse, verùm post multum temporis nõ  
ita profuisse, siquidem illos malum repetijt, quan-  
quam non ita vehemens quàm antea. Sanè o-  
leum in quo cocta vulpes est, non est potentioris  
in digerendo facultatis, quàm in quo byana: quæ  
si similiter in oleo lixetur, reddetur oleum longè  
potentissimæ in digerendo facultatis. Porò fre-  
quenter dictum est, talibus medicamentis ineffe  
potentiam eorum quæ in alto continentur corpo-  
re, in extimam cutem extrahendi, ac eo nomine,  
quandoque sedandi dolores. non enim perpetuò  
hoc ad ea sequitur, cū ij duntaxat dolores ab eius-  
modi medicamentis sedentur, quorum causa est  
humor in alto contentus, dolorem ciens aut sub-  
stantiæ crassitie, aut refrigeratione, aut vehementi  
acrimonia, aut etiam spiritus flatulentus exitum  
non habens. Itaque qui vtuntur vulpibus, & ipsi  
oleum digestorium efficiunt: atque inde impletis  
eo alucolis totos arthriticos in eos imponunt, mul-  
to ibi tempore immorari præcipientes: verùm ex  
hoc fit vt non tantùm qui circa articulos sunt tu-  
mores euacuentur, sed etiam vniuersum corpus.  
Itaque vbi corpus illis antea plenitudine affectum  
fuerit, mirum non est per euacuationem consecu-  
tum commodum, nempe cùm nihil etiam in affe-  
ctas partes influat, quia corpus vniuersum iã eua-  
cuatum est, & qui continebantur humotes exha-  
larunt. Cæterùm quemadmodum antea cùm cor-  
pus noxa vacaret, praua victus ratio morbum in-  
uexit:

uexit: eundem in modum, aut etiam amplius, à simili diæta par est rursùm illos similiter afficiendos in articulis quibus iam laborauerunt: Hæc omnia Galenus. Vulpes tota in oleo viua aut mortua cocta discussorium efficit oleum, quod humores ex profundo ad superficiem trahit. Vnde qui in solium fuderunt, & in hoc arthriticos locarunt, vt diutius immorarentur, affectionem incipientem sedarunt, inueteratam verò moderatiorem fecerunt: Paul. Podagris mederi quidam ferunt vulpem decoctam viuam, donec ossa tantum restant: Plin. Vulpem ex aqua coquito donec mollescat, & ex aqua percolata pedes assidue foueto, quo facto doloribus facile careri hoc remedio quidam frequenter experti sunt: Marc. emp. Vulpis renes cum sua pinguedine ad genuum dolores conferunt: Ant. Fuman. Vulpinæ pelles vtilis existimantur arthritidi frigida, podagra, & frigidis fluxionibus. quamobrem aliqui etiam tibialia siue caligas inde parari curant podagricis: Mich. Herus. De vulpina pelle interior pars calciamentorum fiat, & podagrici videntur, leuiorem incessum habebunt: Sextus. Aliqui hodie martium & vulpium pelles podagræ noxias putant: quod intellexerim non de quauis, sed calida podagra, si horum animalium pelles cum suis pilis applicentur. Sed vt aliàs inutiles sint, pedibus tamen subiecta, præcipue vulpinæ, molliorem gressum efficiunt, propter densam pilorum multitudinē: Ges. Puluis pulmonis vulpis ꝑ. j. vel ij. pondere sepe bibitus omni arthritidi confert Apuleio Plat. teste: Guain.

Vulturis nervos ex cruribus, ac summis pedibus collectos ad talos ægri alligato, curans, vt nervos dextri pedis vulturis, dextro ægri pedi alliges, & sinistros sinistro. Similiter etiam cubitorum, manuum, & humerorū nervos, alasque: Alex. Trall. Corium dextri calcanei vulturis dextro pedi podagra laborantium, & sinistri sinistro impositum, dolores mitigare fertur ac linire: Mizal. in memorab. Pulvis stomachi vulturis omni arthritidi ponderē ʒ. j. vel ij. conuenit, vt Kiranides ex philologis vnus antiquissimus affirmat: & hoc pro maximo secreto à Sarraceno quodam habui: Guain. Vulturis adeps & ventriculus cum axungia contritus & perunctus, omnem neruorum dolorem tollit, & articularum emendat: Sext. Plat. Neruis & arthritidi adeps vulturina cum felle eiusdem & cū axungia veterē ac melle malagmatis more apposita medetur: Marc. emp. Vulturis axungia cū ltercore pecudum valer podagra phlegmatica: similiter cum caprino: Isaac. Super vulturis pelle benè calida desidere, salutare esse ferunt podagricis, & qui defluxionibus aliquibus tentantur: Rasis.

Xyphij radix podagras refrigerat: Plin.

Xyridis radix ex passo bibitur ad coxendicum dolores: Diosc.

F I N I S.

Deo Opt. Max. laus, honor, & gratiarum actio, Amen.

157  
ANTONII GAZII PATA-  
VIENSIS, CARMEN  
podagricum.

*Ocia grossa, motus, somnus, legumina, fructus,  
Frigida, radices, balnea, vina, venus,  
Crapula difficilem pedibus fecere podagram,  
Quae non ieiunos affligit ipsa viros.  
Esurias igitur, sitias, vigilésque, labores,  
Et fugere in primis noxia cuncta velis.  
Euome nonnunquam, & ventrem subducito plenum,  
Si sit necesse, & sic bene tuus eris.*

IN CLARISS. ET DO-  
CTISS. MEDICI ANTONII SNEE-  
bergeri, &c. libros de podagra, peste, & rabido  
cane, Hieronymi Mazze Veneti car-  
men Hexastichon.

*Tergeminum Ditis monstrum, Tyrrinthius heros  
Dicitur inuicta perdomuisse manu.  
Creuerat astra aliud, longeque nocentius illo,  
Depascens hominum viscera mille malis.  
Hinc quam non tollit solers Medicina podagra:  
Hinc pestis: rabidi hinc vulnera saeva canis.*

*Non tulit hanc hominū speciē miseratus Apollo,  
 Afflicto unq̄ sua subleuat arte genus.  
 En nouus Alcides medicis Antonius armis,  
 Proterit auspicijs monstra superba Dei.  
 Felix sorte Dei: felix virtute: perenne  
 Qui ficta nosti quarere morte decus.*





## ANTONII SNE-

BERGERI TIGVRINI, ME-  
DICI PHYSICI, DE MULTIPlici  
falis vsu Libellus.

## GENEROSO AC MA-

GNIFICO DOMINO HIERONYMO BV-  
zinski, Salinarum regni Poloniæ sum-  
mo præfecto, &c.

## ANTONIVS SNEEBERGERVS

Tigurinus, Medicus Physicus  
S. D. P.



*Hocion Atheniensis, Generosissime  
Domine, cum quidam dixisset consi-  
deranti similem videri: rectè, inquit,  
coniectas: nam cōsidero si quid eorum  
qua sum apud Athenienses dicturus,  
omittere ac recidere possim. Nimirū  
vir grauissimus sentiebat nō magnam admirationem  
multa, sed pauca & vtilia dicentis esse. Nam vt inter  
ciborum & potus genera magis qua iuuant, quam qua  
delectant, eligenda sunt: ita in dicendo oportet pruden-  
tem esse saltem que vtilia paucis verbis proferre. Ταύτην  
ἐπισημασάντων ἡμετέρον ἔστιν. Verba enim nimia molesta  
sunt vbique. Cum autem nihil hodie dici possit, quod  
non dictum sit prius, maxime nostra a tatis scriptoribus*

breuitati studendum puto: praecipue dum quae alij diuersis libris quasi semina quaedam sparserunt, vnaq; exquisita, in vnum collecta, & coporiata, non solè ordine, sed etiam iudicio disposita, in aspectum lucemque proferre student. Ego quidem, Generosissime Domine, hoc studio breuissimum de multiplici salis vsu libellum scripsi: rem difficilem sanè aggressus, ob varias & multiplices eius utilitates. Sed quid nam hic praestuerim, alij diiudicent. Plurima equidem omisi: quaedam quasi praeteriens indicari: vel quòd alias commodius dici possint, vel quòd vulgo etiam notissima sint. Quis enim nescit reges Indiae ex sale maiora vectigalia, quam ex auro & margaritis accepisse: hodie verò serenissimum ac optimum nostrum Regem Sigismundum Augustum longe maiora accipere? At cum hic vsus non ab natura salis habeatur, haud Physico explicandus videbatur. Sed etiam de salibus aromatis conditis, theviacis, purgantibus, nihil dico, partim quòd de simplicis salis vsu omnem sermonem instituerim, partim quòd prope nullus eorum hodie in medicina vsu habeatur. Saltem igitur praecipuos salis simplicis vsus in certa capita distributos expono. Cum verò quicquid operae ac studij in hoc libello conscribendo consumpsi, tibi Generosissime Domine, vt praecipue animum meum erga te vera pietatis, eruditionis, ac humanitatis studiosissimè cultorem, deinceps erga fructuosissimas incliti huius regni salinas, quarum beneficio plurimi literarum studiosi quotidie fruuntur, intelligeres, dedicare instituissem, nobilissimus ac optimus vir, Dn. Andreas Schadconienfis, singularis aliquot ab hinc annis studiorum meorum fautor curricè (vt aiunt) incitauit. Munusculū  
 fautor

fateor exiguum est: sed huiusmodi cuius generosam magnificenciam tuam poenitere non debeat, ut quoda rerum naturam cognoscendi cupidissimo, tibi fructuosissimarum salinarum, maximiq; operum nature theatri profecto diligentissimo mutatur. Adiuñxi tabellam breuiter ratione & distributione sub aspectu salis species ponentem, in rerum naturalium studiosorum gratiam. Tu quaeso Generosissime Domine, hoc meum erga generosam praestantiam tuam studium boni consulas, inuataq; tibi humanitate ac beneuolentia me unicum nobilissimo ac humanissimo domino Ioanne Piasonio cum quo officium communicasti, amplectaris. Optime vale Generosissime Domine.

Dominus noster Iesus Christus nos omnes sacrosale, hoc est, doctrina Apostolica sincera condiat, Amen.  
 Data Cracouia ex soceri mei Ioannis Antonini pia memoria, olim regum Polonia Sigismundi primi,  
 & Sigismundi Augusti medici, adibus.

Quarta die Maij. Anno

1 5 6 2.

## GREGORII MACRISZE-

psij in libellum de salis usu,

EPIGRAMMA.,

**S**I quid foris frequens fuerit, vix cernitur ulli,  
 Natura quamuis abdita multa premat.  
 Contra si quod adest rarum, mirabile cunctis  
 Redditur, & laudes ex nouitate refert.  
 Huius ab exemplo salis hic conscribitur usus,  
 Mirari ut possit sedula turba salem.  
 Sal veteris, pariterque noue mysteria legis  
 Continet, & magnis addita sacra dijs.  
 Quin etiam secreta docet quamplurima, prudens  
 Quae natura salis nomine clausa tegit.  
 Hinc siquidem lapides, planta, & preciosa metalla  
 Durant, purgantur, hincque colore nitent.  
 Nam neq; flamma salem, nec destruit vnda, vicissim  
 In se quin redeat viribus ipse suis.  
 Sal fouet humani iustam quoque corporis auro  
 Temperiem longo, ceu Panacea potens.  
 Adde cibos, quorum, nisi sal prestasset amicum  
 Gustum, corporibus noxiis usus erat.  
 Ne tamen hic multis lector toneatur, in isto  
 Plura legens cernet, quam putat ipse, libro.

ANTO.

ANTONII  
SNEEBERGERI TIGV-  
RINI, MEDICI PHYSICI,  
DE MULTIPlici SALIS VSV  
LIBELLVS.



Etus, laudatumque prouerbi-  
um est, quo nihil esse vtilius sale & so-  
le dicunt: vnde etiam Homerus  
salem diuinum nominauit. quæ  
enim publicis commodis feruunt,  
& ad varios vsus sunt accommo-  
data, diuinis honoribus homines dignantur: vel-  
uti aquam, ignem: nam terra non diuina modò,  
sed pro dea etiam habetur. Horum autè nulli vtili-  
tate inferior est salis natura. Et hercule vita huma-  
nior sine sale nequit degere: adeoque necessarium  
elementum est, vt transferit intellectus ad volu-  
ptates animi quoque. Nam ita sales appellantur:  
omnisque vite lepos & summa hilaritas, laborum-  
que requies non alio magis vocabulo constar.  
Honoribus etiam militiae que interponitur, salarijs  
inde dictis. atque semper in magna apud antiquos  
sal autoritate erat, sicut apparet ex eo quòd hospi-  
tibus ante alios cibos apponebatur, quo amicitia  
stabilitas & constantia significaretur. quare etiam  
hodie plerique ominosum habent, si sal in men-  
sam profundi contigerit: contrà verò faustum, si  
vinum, idque merum, effusum sit. vel, quia velut

*Plin. lib.  
31, cap. 9.  
Iliad. 9.*

*Amicitia  
Symbolū  
salerat.  
Iōā Pier.  
libro 31.  
Hierogly-  
phicorū.*

ex aquis sal multis & fusilibus in vnum quoddam & solidum coit: ita ex diuerso conuenientes in vnum animi coalescant, fiatque Platicum illud *μικτήριον*. Maximè tamen in factis intelligitur salis autoritas, quando Ioua Israëlitarum Deus iubet omne libamentum sale condire, nullumque ferum sale fœderis Dei defraudandum, quin in omni libamine salem libandum. Quare Plato rectè sal Deo amicum, charumque dixit. Atque gètes cùm thura nondum haberent, mola tantùm salis litasse, Ouidius clarè hisce versibus cecinit:

*Vastorū i.* *Antè, deos homini quod conciliare valeret,*  
*Far erat, & puri lucida mica salis.*

*Nondum pertulerat lacrymas cortice myrrhas*

*Acta per æquoreas hospita nauis aquas:*

*Thura nec Euphrates, nec miserat India costum:*

*Nec fuerant rubri cognita sila croci.*

At Christianorum quidam se infantes modò natos inter baptizandum sacro, vt vocant, sale condire asserunt. Varium autem vsũ in communi vitæ consuetudine sal præbet: etenim aliquem in ædificando, aliquem in artificijs, in agricultura multum, plurimum in cibus, maximum in medicina. Nam Arabes Carrhis & Gerræ muros, turres, domosque ex salis, tanquam saxi, quadratis massis faciunt, aqua ferruminantes. Hammanientes vñ decem dierum itinere à Syrtibus maioribus ad occidentem siti, domos earumque tecta sale montibus suis exciso ceu lapide construunt. Sed in hac Africę parte quorundam testimonio nõ pluit, aliàs salis parietes, tecta que durare haud possent, cùm

*In adificando.*

*Plin. l. 31,*

*c. 7. l. 6,*  
*cap. 28.*

*Plin. l. 5,*  
*cap. 5.*

*Solinus*

*Polyhistor c. 41.*

*Herodotus lib. 4.*

etiam

etiam alia laxa mollia in apertis & patentibus congesta gelu, imbribus & pruinis rumpantur, ac dissoluantur. In salinarum metallis Agrigentino, aut Centuripis vicinis, lapidinarum modo cæditur ad facies hominum, vel deorum statuas atque imagines. Verùm multiplex salis in artificijs vtus est. Sal tostus, idemque liquefactus adicitur ad venas metallorum experiendas & excoquendas: quia cum facillè liquefcat, illas quoque quodammodo liquet. Sal quòd aut valde calfaciat venas, aut penetret in ipsas, igni est magno ad purgamenta à metallis separanda adiuuato, & liquefactus cum plumbo commiscet, partim ab igni tuetur venas, quarum metallum vel ipse consumit, vel vnà cum fumo latum ex fornace euolat. quædam etiam metalla combibit. Aurum vt purgetur, cum salis grumo, pondere triplici misso torretur, & rursum cum duabus salis portionibus, & vna aluminis (non lapidis, vt vulgò exemplaria Plinij habent) schisti. quidam aurum sale communi, vel ammoniaco expoliunt. Aurifices quidam sale communi purgato in crucibulo magnoque igne liquefacto & fuso, additis sale alkali, & sale gemmæ tritis, dum aurum auro conglutinant, pro chryfocolla vtuntur, aut etiam chryfocollæ partem admiscunt. Sunt qui boracem, sale communem fustum, & sale alkali, miscunt partibus æqualibus, & in secretis habent pro borace. Nonnulli rubiginem ferri sale detrahunt. alij dum æs, orichalcumve, argenteum reddere student, sale vtuntur. Aquam fortem, vel separationis metallorum communiter dictam, ple-

*Vitruuius*  
*lib. 2, c. 7.*  
*archire-*  
*ctura.*

*Solinus*  
*cap. 21.*  
*In artifi-*  
*cij.*

*Georgius*  
*Agricola*  
*de re me-*  
*tallica*  
*lib. 7.*

*Plin. lib.*  
*33, c. 4.*

*Plinij lo-*  
*cus corre-*  
*ctus: vide*  
*Euonymi*  
*Philippi*  
*thesauri*  
*pag. 250.*  
*editionis*  
*Tigurina*

*Gnaine-  
rius, Vist  
dizs.*

*Præter a-  
lios Mar-  
sholus in  
epistolis  
medici  
ualibus.*

*In agri-  
cultura.  
Leuius  
Lénius.  
Plin. lib.  
17. c. 28.  
Lib. 19.  
cap. 11.  
Arrianus  
in Indica  
historia.  
Columel-  
la l. 8. c. 3.  
Palladi?  
in mense  
Nonébris.*

runque salis speciebus aurifabri & chymici parant. Chymici aliquid salis adijciunt in fimo putrificandis, aut destillandis: vt animalium sanguini, carnibus, ouis, piscibus, quò minus corrumpantur. At qui toties decantatum aurum porabile conficere docent, omnem vim dissoluendi & in aquam vertendi auri in sale consistere tradunt. Vitriarij sal fossile, candidū & translucidū: item confectum ex lixiuio, ex cinere anthyllidis, aut alterius herbæ falsæ: vel ex aqua salsa, vel marina factum, ad vitra conficienda aliæ materiæ commiscunt. Atque vasa testacea etiā sale imbuuntur, quò fidelius contineant liquorem infusum. Et pelles sale si emolliantur, laxiores fiunt, & inde capaciores, salis utpote acrimonia, coriorum crassitudinem emendante: quare rectè quidam vtres sale lotos meliores reddi scribit. Sed infinita opera artificum sunt, in quibus sale egent. Vtuntur eo sculptores gemmarum, pictores, fabri ferrarij, pelliones, qui que saponem conficiunt. Agricolis autem sal permagnam vtilitatem præstat. agrorum enim sterilitati eo medentur, vbi plus satis palustres sunt atque vliginosi. Palmæ quidem & lentisci salis aquis aluntur. Et vitium radicibus aquam salis iubent affundi, si sint lachrymosæ. Quin peculiaris medicina raphano, betæ, rutæ, cunilæ, in salis aquis: hæcque Plinio autore, plurimum lauitati & fertilitati cõferunt. Et oleæ lictore marino gaudent. Nec vlla sunt tam grata pabula, aut etiam pasqua, quorum gratia non exolescat vsu continuo, nisi pecudum, armentorū, & iumentorum fastidio pastor occurrerit præbito sale,



fale, quod veluti ad pabuli cōdimentum per aestatem canalibus ligneis impositum, cūm ē pascuis rediunt, pecora & armenta lambunt, atque eo sapore maximè sollicitantur ad pastum & potum, multò gratiore in caseo dote, multòque etiam largiore lacte: vnde Poëta cecinit:

--- Cui lactis amor, cytisum lotisq; frequentes

Ipse manu, salisq; ferat præsepibus herbas.

Hinc & amant fluuios magis, & magis vbera tēdunt  
Et salis occultum referunt in lacte saporem.

Pecus potu pinguescere, ideoque sal illis aptissimum esse Plinius Aristotelem securus scribit. Nimiram autem pinguedinem, quam pecori morbosam esse rei pecuarie magistri experientia edocti probè tenent, salem absumere & discutere Plutarchus testatur. Sal ouibus coitum mouet: eisque ante & post coitum præbendum consulit Aristoteles. De salis multiplici in pecorum, armentorum & iumentorum morbis curandis vsu, longum est & non necessarium mihi dicere, præsertim ad alia properanti, & quia ex rei rustice scriptoribus cognosci potest. Videamus iam quem vsu in cibis præstet. Sal igitur quotidiano victui commodissimum, ac reliqui cibi caput esse inter omnes constat: vnde etiam quidam τὸς ἀλλὰς ζέεται, id est, salem, gratiam appellauerunt, quòd sit veluti opsonium condimentumve opsoniorum: hodieque in prouerbij consuetudinem venit, vnum salis condimentum omnibus aromatum condituris præstare. Hoc cibus admistum, fastidium auertit, nauseam prohibet, auiditatem excitat, inuitatque in omnib. cibis,

M

Plin. lib.

31, cap. 7.

Georgic.

3.

Plin. lib.

10, c. 73.

Arist. l. 8,

historia

animal.

cap. 10.

De causis

naturæ

lib. cap. 3.

Arist. lib.

6, c. 19.

animal.

histo.

In cibis.

Plutar-

ch<sup>o</sup> probl.

Sympos.

deca. 5.

probl. 10.

ita vt sit peculiaris ex eo intellectus inter innumera condimenta: ex quo Aufonius inter versus monosyllabis terminatos lusit:

*Nec nostros reticebo cibos, quos priscus habet mos:  
Irritamentum quibus additur equoreum sal.*

*Plin. lib.  
31, cap. 7.*

Quare sale pulmentarij vice vsi sunt veteres auctore Varrone: esitârunt enim salem cum pane & caseo, vt prouerbio apparet. Vnde Horatius cecinit:

*Serm. 2,  
Satyra 2.*

-----cum sale panis

*Latrantem stomachum benè leniet.*-----

*Vtitur  
hac pro-  
uerbiali  
sententia  
Io. Chry-  
sostomus  
sermone  
de patien-  
tia, &c.*

Sed illud ita peruulgatum est, vt iam prouerbij locum obtineat, meliorem esse buccellam panis cum sale in pace & tranquillitate, quàm lautissimos & delicatissimos cibos in sollicitudine & timore. Atque Pythagoras præcipuè salem in mensa apponendum sanxit. quem morem à posterioribus diligenter esse retentum ex Horatio constat in Odis canente:

*Vtitur paruo benè, cui paternum  
Splendeci in mensa tenui salinum.*

Et in sermonibus:

-----*Modò sit mihi mensa tripes, &*

*Concha salis puri.*-----

Sed ad obsonium & cibum vtilior quisquis facile liquefcit: item humidior, minorem enim habet amaritudinem: quam vt mitigarent lenirènt-ve quidam, odoribus additis salem condiderunt, itaque conditos Græci ἄλας ἠδδομένους nominârunt. Neque tantùm cibos sale condiderunt, verũ etiam vina: iudicantes sal, siue mate (vtroque enim condiebant)

*Athena-  
us lib. 9.  
Plin. l. 14,  
c. 19. et a-  
lij auctores  
pleriqz.*

diebant) quum aqueum vini recrementum at-  
 nent, eliquentque, neque odorem grauem vino  
 contingere, neque id muciscere, aut in acetum  
 verti permittere. Preterea sua gravitate terreftrio-  
 res vini partes secum ad fundum vasis deerrahere,  
 eoque modo ipsum citius purgari, nec non asperita-  
 tem eius mitigari: ac propterea vina sale mari-  
 naue aqua condita minus inebriare. Purgatur &  
 aqua, si limosa fuerit, salis admisione. Et cum Hie-  
 richuntij Elisæo vati aquam vitiosam, & terram  
 suam sterilem esse indicassent, iussit afferri sibi  
 nouum salinum, in eoque salponi. Quo allato,  
 egressus ad ortum aquæ, eò salem abiecit, atque  
 ita dixit: Sic dicit Ioua, se huic aquæ mederi, ne-  
 que inde vel mortem deinceps, vel sterilitatem  
 manaturam esse. ita salubris facta aqua est in po-  
 sterum. Sed admiscetur etiam lacti, ne in ventri-  
 culo corrumpatur, & in caseum cogatur. Ser-  
 uandas autem carnes sale condimus, quòd humo-  
 rem quem continent superfluum tenuat ac consu-  
 mat, quod reliquum est substantiæ solidæ, astri-  
 ctione contrahat, atque ita à putrescendo tueatur  
 & defendat. Carnes igitur tam piscium quàm reli-  
 quarum animantium quibus vescimur, vt incor-  
 ruptæ seruari possint, salibus asperguntur. nec  
 hæ tantum eis condiuntur, sed caseus etiam, bu-  
 tyrum, olera, radices, atque fructus nonnulli, vt  
 capparès: aliqui verò, vt similiter diutius confer-  
 uari possint, in muria collocantur, sicut oliuæ & li-  
 mones, flores & fructus capparū. Tamq̃ frequens  
 eius in condiendis fructibus, alijsque seruandis

*De aqueo  
 vini recre  
 mento, lege  
 Gal. l. 4.  
 de simpl.  
 medica.  
 facult.*

*Athena-  
 us lib. 1.*

*Palla-  
 dius l. 9, c.  
 9. Virru-  
 uius ar-  
 chitect. l.  
 8, c. 8. St.  
 Regum l.  
 4, cap. 2.*

*Galen. de  
 alimento  
 rû facult.  
 tatib. l. 3,  
 c. 15. me-  
 thodi me-  
 dēdi l. 11,  
 cap. 11.  
 Gal. l. 3.  
 de alimē-  
 tis.*

*Vide A-  
 picium l.  
 1, cap. 23,  
 24, &c.*

*De salsa-  
mentis &  
guro co-  
piose scri-  
bit Gesne-  
rus in a-  
quatiliū  
historia.  
In medi-  
cina.*

*Gal.com-  
mēt. 6. in  
6. de mor-  
bis Vulga-  
ribus tex-  
tu 5.*

*Pleraque  
ex Diosco-  
ride, Pli-  
nio, Aui-  
cēna sum-  
pta.*

*Gulielm<sup>9</sup>  
Insulan<sup>9</sup>,  
de ratioe  
victus sa-  
lubris,  
cap. 6.*

vsus est, vt salgama dicantur quæcunque condita in diuturnum cibum & vsum in vasis seruantur, vt vuar, mala, pyra, fici, rapæ. Aptior autem ad salitram sicciior, durior, minus friabilis, & magis astringens. Quamuis verò sal reliqua à putredine conseruat, ingeniosa tamen antiquitas ad saporem gula piscium intestinis, cæterisque quæ abijcienda essent in eo maceratis, tabescere mulcifariam coegit. Nec liquor vllus guro maiore in precio apud antiquos fuit, nobilitatis etiam gentibus. Iam quod vsum quem sal præbet in medendo attinet, omnis sal in commune calfacit, siccatur, extenuatur, dissoluit, discutit, abstergit, astringit. Mortiferis autem medicamentis sal ita conuenit, vt totam venenatorum humorum & medicamentorum substantiam consumere possit. Prodest ad bestiarum morsus. Crocodilorum morsibus auxiliatur, tritus, in kintolo & intinctus aceto, ita vt vinculis loca constringantur. Contra scolopendræ morsus cum melle & aceto potus. Aduersus crabronum vel vesparum similiaque ictus, ex aceto illitus. Contra scorpionum ictus, cum quarta parte lini seminis ex oleo vel aceto illitus: aduersus serpentium morsus, cum origano, melle, hyssopo: aduersus cerasten cum origano, pice, aut cedria, aut melle auxiliatur. Contra haustum opium & fungos cum aceto mulso bibitur. Pastillis theriacis, ipsique theriacæ admiscetur. Demitur etiam aliquid malitiæ pestiferæ carbonum, iniectu salis. Ignes sacros, & vlcera quæ ferpunt, ἐπὶ πύρρα, Græci nominant, sal cum aceto aut hyssopo illitus impositusve sistit. Ambustus igni cum

cum oleo impositus, aut commanducatus, pustulas erumpere non patitur. Admiscetur medicamentis pruritus sedantibus. Lepras, & furunculos, & lichenas, & pforas emendat cum passiva exempto eius ligno, & seuo bubulo, ac fermento vel pane. Carcinomatis cum vva taminia imponitur. Phagedænis vlcerum, tritus cum farina hordei, superimposito linteolo madente vino, prodest. Nostri puerorum verrucas sale & fuligine perfricant. Multi vlceribus ex crescentibus vel putrescentibus imposituere. Vulgus leuioribus vulneribus cum tela araneorum imponit. Luxatis imponitur cum farina & melle. Additur & smegmaticis ad extendendam cutem leuandamque. Galenus recens nati infantuli corpus sale modicè inspergit, quod cutis eius densior solidiorque reddita ad *suavitate* *deperit*, id est, iniurijs externis minimè obiecta, fiat. At quidam sal, quod cutis nitorem faciat, medicaminibus faciei miscuerunt, vt ex his versibus Ouidij apparet:

De medicamine facies.

*Profuit & marathos benè olentibus addere myrrhis.*

*Quinq; parent marathi scrupula, myrrha nouè,  
Arenisq; rose quantum manus vna prehendat,*

*Cumq; ammoniaco mascula thura sale.*

*Hordea quem faciunt, illis infunde cremorem:*

*AEquent expensas cum sale thura rosas.*

*Tempore sit paruo mulier licet illit a vulnum,*

*Herebit toto nullus in ore color.*

A nostris etiam hominibus sæpissimè vsurpatum est, iamque in prouerbij consuetudinem venit, salem cum pane frequenter comestum genas

roseas præstare. Sed prodest etiam ad sugillationes faciei. Plydracia capitis vlcera & pustulas, thymos, & phymata cum seuo vitulino: furunculos cum vua passa, aut suillo adipe, aut melle discutit.

*Gal. de cõ  
pos. secundũ  
locos  
lib. 1, cap. 8.  
Vide pro-  
uerbium  
sale per un-  
ctus hinc  
suaabi-  
tur.*

est autem fortissimum remedium. Additur item medicamentis ad heterocraneas. Veteres, temulentos sale & oleo perungebant, id aduersus ebrietatem præstantissimum remedium existimantes esse. Excrescentia in oculis reprimit, & pterygia consumit, cæterasque carnis exuberationes tollit, ob id collyrijs emplastrisque additur. Ex istu verò suffulis cruore oculis sugillatisque, cum myrrhæ pari pondere ac melle, aut cum hyslopo ex aqua calida, utque foueantur salugine, probatur. Teritur item in coticulis contra suffusiones oculorum cum lacte. Aurium itidem doloribus imponitur cum aceto. Vlcerebus oris manantibus in linteolo concerpto illitus prodest. Gingiuvs quas humor vexat, infricatus: Et contra scabriciem linguæ frictus comminutusque. Aiunt dentes non erodi neque putrescere, si quis quotidie manè ieiunus salem cõtineat sub lingua, donec lique scat. Dentibus quidem infricatus, humiditates, quæ intra eos sunt, absumit: eorumque dolori cum aceto foru, & illitus eum resina prodest. Archigenes quoque ad dentium dolorem fomenta forinsecus ex sale torrefacto, & milio in sacculos coniectis commendat. Cur autem sal dentium stuporem tollat, inquit Aristoteles in Problematibus. In tetano ceruicis morbo sale humido fouere vtilissimum esse Celsus docet: Aretæus verò in eodem morbo sale tenui

*Simeon  
Sethi.*

*Gal. de cõ  
pos. secundũ  
locos  
lib. 5, c. 9.  
Sectione  
5, probl.  
38.  
L. 4, c. 3.*

& illitus eum resina prodest. Archigenes quoque ad dentium dolorem fomenta forinsecus ex sale torrefacto, & milio in sacculos coniectis commendat. Cur autem sal dentium stuporem tollat, inquit Aristoteles in Problematibus. In tetano ceruicis morbo sale humido fouere vtilissimum esse Celsus docet: Aretæus verò in eodem morbo sale tenui

tenui in sacculo posito, quod non sædè oleat, caput fouendum consulit: sed Galenus salis fomenta capiti admoda propter grauitatem molestiora esse scribit: quare præstiterit sale in saccis aqua feruenti madefacto ceruicem fouere: quod quomodo fiat, Celsus docet: Sal, inquit, sicco linteo excipitur, demittiturque in aquam benè calidam, tum super id membrum, quod fouendum est, collocatur: iuxtaque ignem ferramenta duo sunt capitulis paulò latioribus, alterumque ex his demittitur in eum salem, & aqua super leuiter aspergitur. Vbi frigere cœpit, ad ignem refertur, & idem in altero fit, deinde inuicem in vtroque inter quæ descendit falsus & calidus succus, qui contractis neruis opitulatur. Sal anginam ex melle, aceto, & oleo illitus leuat: tonsillis vnaque cum melle tostus prodest. Multi tussim veterem linctu salis discutere: ad quem vsum maximè sal gemmæ laudandum puto. Stomacho inutilis, præterquam ad excitandam auiditatem. Ventriculum humores in eo contentos incidens, dissoluensque euerit, turbat, & ad vomitum incitat. Sed acrimonia sua exiliores meatus referans præstat vt nutrimentum facilius & melius in totum corpus distribuat digeraturque. quare Apollonius Herophili discipulus, graciles quorumque corpora à cibis non nutriebantur, falsamentis & falsuginosis, non dulcibus glutinosisve, prudenter alebat. Emollit & aluum in vino mixtus. noxia item, & tinearum siue lumbricorum genera pellit in vino potus. Purgat humores crassos, lentos, pituitam vi-

*De cōpos.  
secundū  
loc. lib. 2.  
cap. 2.*

*Lib. 2.  
cap. 17.*

*Præter alios Me-  
suc.*

*Plutar-  
chus de  
causis nã  
turalibus  
cap. 3.*

*Mesue.*

tream, melancholiam: per se tamen nõ vsurpatur, sed alijs miscetur in catapotijs, confectionibus, enematibus, collyrijs, suppositorijs, & cæteris remedium formis. Et sanè, sal vt alimentum non est, sed condimentum, sic purgatoria basis non est, sed alijs mistus vigorem addit, ac stimulos omnibus medicamentis tardè ac imbecilliter purgantibus. Colum torminaque potus, & in facis impositus candens leuat. Fomentum siccum ex sale & milio hypochondriorum dolores à crassis viscosisque humoribus ortos lenire Hippocrates & Galenus docent. Aretæus item fomentum ex milio & sale vsulatis in voluulo adhibet. Morbo regio laborantes donec sudent ad ignem, contra pruritus quos sentiunt, ex oleo & aceto infricatus iuuat. Enema ex sale cum mulla in phlegmone caux partis iecoris inter initia commendat Galenus. Multi & hydroticos sale curauerunt, ex oleo id inungentes. Quidam hydrotici se ad solem sale decumbentes exposuerunt, tenui sale substrato. oportet autem salis altitudinem (si quis fortè eos imitari velit) non minorem esse tribus palmis paruis: si enim non fuerit altus sal, caliditas ipsius facilè diffatur, vtpote quæ ex alto emersum ac progressum non habeat. Leucophlegmatiam siue anasarcam patientibus optimè facit fricatio ex sale in aqua aut oleo trito, donec viscosum reddatur. si cum eo in sole aut iuxta ignem fricentur. Valde enim celeriter & sudores elicit plurimos, & carnem cogit, siue in sole, siue iuxta ignem defricentur, modò caput habeant

*De Vist.  
acut. com  
ment. 2,  
text. 2, 6,  
7.  
Lib. 13.  
methodi  
medendi  
cap. 15.  
Actius  
lib. 3, c. 9.*

*Act. lib.  
10, c. 28.*



habeant benè contactum. Renum dolores fotti  
 sal humidus leuat. Quidam sal viris lum-  
 bos incitare, mouereque tentiginem, Belga-  
 rum exemplo probat: qui cùm sale affatim ve-  
 leantur, impense salaces existant. Plutarchus  
 etiam Ægyptiorum sacerdotes quibus castitatis  
 vnicum erat studium, à sale abstinuisse, quòd ca-  
 lotis vi libidinem proritare putarent, autor est.  
 Non parum autem conferre fœcunditati sal, vel  
 hoc argumento est, quòd libidinem incitat. qua-  
 re qui canibus alendis studium ponunt, vbi in ve-  
 nerem sunt segniores, salis, muriaque conditis  
 carnibus excitant iacentem venerem, morantem-  
 que vim seminalem prouocant. præterea, quæ  
 per mare sale conuectant naues onerariæ, in nu-  
 meram murium copiam producant. atque putant  
 huc alluisse Poëtas, qui Venerem genituræ prin-  
 cipem, è mari natam fuisse finxerunt, dum volue-  
 runt fœcundam prolificamque salis naturam in-  
 dicare. Insuper marinos deos in vniuersum fœ-  
 cundos, numerosamque habere prolem ijdem o-  
 stendunt. Denique inter animalia tam terrestria,  
 quàm volatilia, nullum proferre queas cui-  
 que marino fœcunditate par. In quam sententiam  
 scripsit Empedocles illud:

*Fœcundos pisces, multum qua ductitat agmen.*

Docuit etiam nos experientia mulieres obesas ac  
 pingues, quæ magna ex parte steriles sunt, mo-  
 derato salis in condimentis vsu fœcundas fieri, ac  
 conceptui aptas: abstergit enim omnem humo-

*Lecinius  
Lemnius.*

*Probl.  
sympof.  
deca 5,  
probl. 10.*

rem, maticemque nimis humidam ac madidam  
 exsiccat, efficitque ut genitale semen in utero  
 contineatur. Et testium tumores cum origano,  
 & fermento (Aucenna addit, & butyro) matu-  
 rius concoquit. Coxarum dolores potus, & in  
 faccis impositus candens iuuat. Clysteribus et-  
 iam infudere ischiadicis. Prodest etiam crura œ-  
 dematosa (siquidem œdema prouenit in hydro-  
 pisi, phthois, alijsque malis corporis habitibus,  
 vel ubi œdema eius multitudinis quæ premit ho-  
 minem symptoma est) sale cum oleo, aut etiam  
 oxyrhodino sal habente perficere. Podagras  
 cum farina ex melle & oleo tritus leuat. Sed o-  
 mnes qui se ne in podagricam affectionem inci-  
 dant, adseruare volunt, & præsertim eos qui hu-  
 mecta & frigida natura sunt, magnificè iuuant  
 sales cum oleo quàm tenuissimè triti & affricati,  
 non quidem tempore inflammationis & dolori-  
 bus instantibus, sed quum hæc remittunt: nisi  
 vehementer sicca temperie ægri sint præditi. O-  
 mnibus enim qui hoc modo fricantur, insitus ca-  
 lor augetur, & quod præter naturam est discuti-  
 tur, recrementaque consumuntur, & affecta  
 membra fiunt robustiora, ac aduersus affectio-  
 nem firmantur, minimeque ei obnoxia reddun-  
 tur, maximè si diligenter singulis diebus manè &  
 vespere, ubi dolores, quemadmodum dictum  
 est, remiserint, per omnem vitam hoc præsidio  
 vtantur. De quo sanè ausim confidenter pronun-  
 ciare, inquit Philagrius, quod etiam solum suffi-  
 ciat his, qui vel maximè circa diætam delinquant,  
 aut

*Gal. l. 14.  
 methodi  
 medendi,  
 cap. 14.*

*Actium:  
 Paulus:  
 Al. Tral-  
 lianus:  
 Scriboni-  
 Lærgus.*

aut immodicè refrigerantur, aut ægrotant ex labore, aut reuenera nimium sunt vsi, aut quemcunque alium fortem excessum admiserunt: quare eo omnino postquam inflammationes quieuerint & dolores, eo vtendum est. Ferunt sal confricatum pedibus, nocuum tollere, quod ex vini crapula contractum est. Tollit & clauos pedum, & perniones. Fatigatos ex oleo illitus iuuat. Feruores febrium sale quidam cum oleo perunxere Plinio autore. Pestilentia laborantibus cibos salios conuenire doctiores medicorum consentiunt: & regni Mellis incolas salis modicum in aqua dissolutum quotidie presentaneo contra pestilentiam remedio assumere affirmant. Et hætenus de salis in medicina vsu: de singulis enim dicere difficile, contraque nostrum qui breuitati studemus, propositum esset. Verum hominibus non viuis modò sal utilis est ad cibum medicinamque, sed defunctorum etiam cadauera à putrescendo vendicat, ita vt durent per sæcula. A Egyptij igitur cadauera exempto cerebro, intestinisque expurgatis, condiunt myrtha pura & castia, cæterisque, excepto thure, odoribus: ac deinceps sale saliant. Vtque anima (quæ pars animalis est præstantior) animantia conseruat, nec sinit diffuere molem corporis: ita salis sanè ea est natura, vt mortuis corporibus adhibitus, ad imitationem animæ, reuocet ea iam ad tabem prona, & euincat, atque moderatam quandam harmoniam, societatemque mutuum partium inter se constituat.

*Simeon  
Sechi.*

*Vide Catalogum  
nostrum alexipharmacorum  
pestilentia*

*Herodotus lib. 2.*

*Lib. 2. de  
natura  
acorum.*

Hinc est, quod Chryſippus apud Ciceronem, hanc  
ſalis cum anima ſimilitudinem confirmandi  
dicit, ſui ne putreſceret, animam pro  
ſale datam eſſe.

Hæc de ſalis uſu ſummatim nobis  
dicta ſint.

F I N I S.

Tabella



## Tabella breuiter falsis species proponens.

			ceditur in montibus: e campis effoditur: ex capis eximitur, arenis quibus te- giur prius remotis, atque cum hic salomnis ammoniacus dici posset cy- rēniacus id nome p suo uedicauit.
	IN		
	ter-		
	ra.		
	hic		
	aut		
Natura	gigni.	}	Fō
Reperi-	tur ante	}	Flu-
vel	}	in	La-
S.A-	lem	}	Ex
ant	ira	}	a-
ARs fa-	cii vel	}	mi- ria
ex	}	a-	}

N

## ANTONII SNE-

EBERGERI TIGVRINI, HEL-  
uetij, Medici gemma amethystus,  
siue carbunculus Æ-  
thyops.

## GENEROSO AC MA-

GNIFICO DOMINO PETRO BUZENIO A  
Buzenin, capitaneo Brfescnicensi & Dopczinensi,  
domino & fautori sibi obseruandissimo S.

P.P. Antonius Sneebergerus, Tigu-  
rinus, medicus.



*Elianus propter singularem ora-  
tionis suauitatem Meliglossus,  
& Meliphthongus nominatus,  
generose & magnifice Buzeni,  
genus quoddam apum esse scri-  
bit, quod quamuis mellis consificendi & conden-  
di industria careat, non tamen prorsus otiosum  
sit: nec, ut fuci, aliorum opera inuadat, aluea-  
riaq; vastet: sed ex ijs quasdam aquam regi &  
apibus vetulis apportare, regem stipare, mortuas  
ex alueo efferre, mundos & puros fauos custodi-  
re, nocteq; alias excubare, & fauorum substru-  
ctiones non secus ac parnam urbem vigiliis as-  
serua-*

seruare. Cum hisce apibus rectè comparauero viros literatos & philosophia studiosos, qui cum nihil suo Marte absque adminiculis commentariis ve inuenire, atque excogitare possint, non tamen, quod proprium fucorum est, aliena studia vituperant calumniantur ve: sed potius quae ingeniosiores, & solertiores inuenerunt, scriptisq; suis tradiderunt, conseruare, augere, explicando ornare, & quae dispersè & diffusè multis ac varijs locis à diuersis autoribus scripta sunt, ratione colligere, ordine disponere, et sub vno aspectu proponere student. Ego quidem agnoscens tarditatem, & tenuitatem ingenij mei, cupiens tamen quam plurimis prodesse, cum omnes ad homines seruandos, & vt inter nos alij alijs prosimus, natos esse constet: annis superioribus incepti ex plurimis autoribus, medicamentorum facile parabilem aduersus omnis generis internos morbos, locupletissimum & utilissimum thesaurum conscribere: atque primùm morborum quibus sparsim plures obnoxij essent, quiq; pluribus grauioribusq; accidentibus comitarentur, remedia conquirere studui. Quare etiam ebrietatis quae vbi que hodie plurimorum hominum mentes mutat: furores, epilepsias, apoplexias gignit: efficit vt homines Solem orientem non videant, ac minus diu viuant: pallorem, genas pendulas, oculorum

*ulcera, tremulas manus, furiales somnos, inquietam nocturnam, rerum omnium obliuionem, mortemq; memoriae inducit, eo animo ut ad publicam vilitatem ederem, remedia collegi: iisdemq; medicamenta vinolenta, amethysta, vini potum occultantia, ac eiusdem tedium afferentia, quòd illis hac omnia propemodum coniuncta esse putarem, adiunxi. Cum autem sermonem in personas distribuere, ut est consuetudo dialogorum, placuisset, omnem ferè tribui, non mihi, ne parum fortè esset autoritatis in dictis, sed prioris uxoris meae feminae optima. et rarissimi exempli parèti, Ioãni Antonino pie memoriae, olim Diuorum regum Poloniae Sigismundi primi, & Sigismundi Augusti medico clarissimo ac doctissimo, quòd maiorem propter eius doctrinam & scientiae celebritatem haberet autoritatem oratio. Sed tibi generose et magnifice domine hunc laborè meum dedico & offero, partim ut animū meum erga te eximiū Palladis arcis cultorè intelligeres: partim ut si qui argumentū quod tracto, primo intuitu tāquā vinosum redarguerint (tales aliquos sciolos futuros minimè dubitādū est) te viro moderato, atque in omnibus vitae partibus temperatissimo, omnique virtutum genere cultissimo autore, intelligant me in hoc argumento exponendo plurimos grauissimōsq; scriptores, Hippocratem dico,  
 Aristo-*



Aristotelem, Galenum, Plutarchum, aliósq; sum-  
 mos, omnium eruditorum iudicio viros, sequen-  
 tum esse: nec non quædam scitu iucundissima uti-  
 lissimáq; à nemine recentiorum hæcenus (absit  
 dicto arrogantia) indicata, distinctè breuiterque  
 explicasse. Sed quæcumq; sit hoc scriptum meum  
 alij iudicent: ego ut lectori prodessem conatus  
 sum. Atque minusculum hoc quod generosa ma-  
 gnificentia tua offero, exiguum esse fateor, &  
 fortè splendore tuo indignum foret, nisi veteres  
 poëta Apollinem Bacchumq; fratres, ambosq; im-  
 berbes inuenes esse sinxissent, ac propterea qui al-  
 terum colere velit, alterum etiam obseruet, neces-  
 se sit. Tu rogo generose domine consilium & fa-  
 ctum hoc dedicationis meæ gratum acceptumq;  
 habeas, & me, si non prorsus hoc meum studium  
 à Musis, nec à Baccho (ut habet prouerbium) alie-  
 num videbitur, innata tibi humanitate ac bene-  
 uolentia complectaris. Viue, & vale cum paren-  
 tibus antiquissima nobilitate clarissimis, pietate  
 verò & virtute sanctissimis, in plurimos  
 annos feliciter. Data Cracouia ex  
 adibus meis die 12. mensis

Augusti, anni

1579.

N 1

ANTONII  
SNEEBERGERI TIGV-  
RINI, HELVETII, MEDICI

GEMMA AMETHYSTVS, SIVE

*Carbunculus AEthiops.*

\* \* \*



VM superioribus diebus in sylua-  
lam in media insula sita, Baccho-  
que sacram, cum Antonino medi-  
co animi recreandi gratiaambu-  
latum venissem: statim nobis plu-  
rimi thyrsigeri, corymbiferiq;, vna cum Thyadibus  
Maenadibusque, dithyrambum canentes occur-  
rerunt: hos vero sequebantur praeter homines te-  
mulentos diuersa animalium genera inebriata, ex  
quibus tamen paucissima propter bacchantis cho-  
ri incredibilem celeritatem vno aspectu leuiter co-  
gnoui. Erant igitur quae consexi, vpupa, corui,  
sues, elephant, simia, vrsi, canes, panthera: senem-  
que potum pota trahebat anus. His visis Antoni-  
num medicum quae siui, cur cum caninum prandi-  
um pro abstemio, & in quo nullum vinum bibi-  
tur, quod peculiari naturae proprietate, canes a vi-  
no abhorreant autore Gellio, dicatur in hoc cho-  
ro canes vinolenti praeterissent. Respondit Athe-  
naeum ex Aristotelis libro de ebrietate docere, si-  
mias & elephantos vino hausto: coruos & canes  
oenutta radice comesta: sues vinaceis vuarum sa-  
turatos

*Anima-  
lia quae in  
ebriantur.*

*Lib. 13,  
cap. 8lt.*

*Lib. 10.*

turatos inebriari: v̄pupam v̄uis immodicè comestis: v̄rfas vini copia: v̄didisseque Volateranum Romæ v̄rfum ex v̄rfinis ædibus cellas vinarias passim quas potuerit per v̄rbē ingredientē, doliaq; exhaustentē. Sed p̄atheras vini admodū avidas, Oppiano autore, plerunq; à venatoribus ebrias capi, fontib. quo potatum eunt, suauissimo, perueteri potenti- que vino medicatis, tanta copia, vt fonticuli aqua longè superetur. Dracones item, Plinio id scribente, inebriatos opprimi commoriq; .

Lib. 32.

Lib. de  
Senatio-  
ne.Lib. 8,  
cap. 12.

ob paucitatem insiti caloris, vino ipsos facillè superante, citissimè, autore Aristotele libro de ebriitate, inebriari. Exponente hæc inter ambulandum Antonino, ad elegantissimè v̄ndique hedera conuestitum topiarium venimus, quod ingressi, frequentissima maximaq; diuersi potus plena pocula mensis imposita reperimus: quæ nobis diligentius inspicientibus ac considerantibus, superuenit Periboetos Satyrus nobilis Bacchici chori ductor, quidq; apparatus admiraremur, nec potius biberemus interrogauit: cui Antoninus dubiam esse cœnam in qua quid appositū sit ignores, respondit, quare nobis quot qualesq; potus infusi essent exponeret, quo deinceps alacriores Baccho libaremus. Tunc Satyrus,

*Non mihi si lingua centum sint, oraque centum,  
Ferreæ vox, omnes potus comprehendere formas,*

*Omnia vinorum percurrere nomina possem.*

Nam quod Plinius ad bibendum genera centum nonaginta quinque, si species verò æstimentur, penè duplici numero excogitata tradit, partim in-

Lib. 14,  
cap. 22.

certum, partim absurdum videtur: genera enim v-  
nus homo indagare nequit, species verò infinitas  
esse constat. His dictis poculum magnum vini me-  
ri plenum accepit, salutatoque Antonino ei pro-  
pinavit, ac dextera dedit,

*Ille impiger hausit*

*Vini dif-  
ferentia.*

*Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.*

Pòt, exhausto illo poculo, Periboetos ordiebatur  
vini differentias exponere: Sed dicebat consi-  
stentia, colore, odore, sapore, facultate, tempo-  
re item, ac natione siue agro differre. Eam au-  
tem quæ in consistentia differentia existit, in ten-  
ue & splendidum, crassum ac turbidum, & in  
horum medium, atque in ea quæ inter medium  
hoc & extrema interiecta sunt, diuidi. Quæ in co-  
lore differentia est, ea vinum album, fuluum, san-  
guineum, nigrum dici. Cùm verò medijs colores  
plurimi sint, media inter hæc vina frequentia inue-  
niri. At odoris respectu odoratum siue aromati-  
cum, inodorum, graueolens, interque hæc me-  
dium agnosci. Ea quæ in sapore vinorum dissimili-  
tudo est, dulce, suaue, acre, amarum, astringens, a-  
cerbum, austerum, acidum, ex varijs tempera-  
tum saporibus, mediumque inter hæc genera com-  
plecti. Ob differentiam autem quæ in facultate est,  
in potens vinosumve, imbecillum, horumque me-  
dium partiri: Sed & hîc inter medium & extrema  
plura genera interiecta esse. At ratione temporis  
(quæ differentia, sicut & sequens à patria sumpta,  
eorum est quæ extrinsecus accidunt) nouum, ve-  
rustum, mediæ ætatis nominari. De differentijs au-  
tem

tem à patria desumptis dislerere immensum & inexplicabile esse. Sed satis, inquit, dilucidè, etsi breuiter, explicauì genera ac differentias vini, audi nunc quale vinum optimum præque cæteris si optio detur eligendum sit. Cùm verò difficile sit formam exponere optimi, quod aliud alijs videtur optimum,

*Huc pater ó Lenæ veni: nudatâque musto  
Tinge nouo mecum direptis crura cothurnis:  
Da facilem cursum, atque audacibus annue.*

Inuocato in hunc modum Bacchi auxilio, subiungit: præstans ac bonum vinum omnes sensus delectet ac moueat necesse est: aspectû, colore limpidò & claro: gustum, dulcedine: olfactum, odoris suauitate: auditum, famæ celebritate, nec non sonitu, vt quasi stridorem quendam acutum dum infunditur edat: tactum, frigiditate, quia nemo vinum vnquam probauerit calidum vestri inquit homines, in hoc exemplum Alexandri Magni imitantes qui nunquam vinum bibit calidum, sed longè diuersum, refrigeratum in puteo, niueque permixtum. quare plurimum studium niuem ac glaciem æstate in calidissimis etiam regionibus ad vini refrigerationem conseruandi adhibuit, huiusque studij Romanos obseruantissimos æmulos ac imitatores habuissent, nisi noua luxuria colum & saccum niuarium inuenissent. Sed præter veterum consuetudinem vinum refrigeratum commendantem, accedit grauissima Galeni vestri autoritas proepyschrismenon vinum magistratibus, eorumque ministris, militibus, & peregrinan-

*Vinum  
quale o-  
ptimum.*

*Athena-  
us lib. 3.*

*Vinū arte  
refrigera-  
tum san-  
tatis obse-  
rue.*

tibus æstiuis mensibus bibendum cōsulentis. Hic ego mox nobilis Dionysiaci chori ducis orationem interpellans, qua igitur ratione hodie quidam non indocti medici vini perfrigerati potum æstiuis diebus tantopere damnant, quæsiui. Affirmant enim cerebro, neruis, pectori, pulmōni, ventriculo, intestinis, spleni, iecinori, renibus, vesica, utero, dentibusque maximè nocere. Nec admirandum, si tempore vinum arte frigefactum bibentes coli & ventriculi cruciatibus afficiat, item conuulsionibus, resolutionibus, apoplexia, spirandi difficultate, urinæ suppressione, calculo, viscerum obstructione, aqua inter cutem, ac pluribus alijs grauibus & pernicialibus morbis. Tum Satyrus, atqui, inquit, veteres de rebus & obscuris & incertis ad Apollinem referebant, quare hæc ex Antonino unico artis Phœbæ ornamento, quemque pluribus alijs sine dubio anteferes, vt qui & nomine & re medicus sit, iudicio & experientia excellens, quæ duo sola medicum verè nobilem faciunt, disces. Mibi verò, inquit Antoninus, prudenter sanè, vt solent rerum periti, videntur qui vinum arte refrigeratū simpliciter siue absolutè damnant, plurimum errare. Duplici enim artificio vinum refrigerari vel ex Galeno, nedum alijs scriptoribus constat: vale nempe in quo vinum continetur aquæ naturaliter gelidissimæ, aut niue glaciève perfrigeratæ imposto: vel vino niuem glaciémve, aut aquam gelidam admiscendo. Vtriusque viæ Satyrus nunc meminit cùm Alexandrum Magnum vinum refrigeratum in puteo, niueque permistum bibisse diceret.

*Medicus  
nobilis.*

*Ib. de bo  
no & ma-  
lo succo.  
7. meth.*

diceret. Veteres sanè etiam ipsam aquam vasculo in quo continebatur in puteo per noctem suspenso, frigidiorè in cœnam inferebant: Atqui Neronis principis inuentum est, decoquere aquam, vitroque demissam in niues refrigerare. Ita voluptate frigoris contingente sine vitij niuis. Sed eandem glareis, laminisq; plumbeis, niue & glacie iniectis frigidiorè reddiderunt. Siquidè igitur primo modo perfrigeratum vinum tot noxias corpori humano inferre asserunt, multum ipsos opinione falli manifestum est. Quòd enim hoc pacto vinum corrumpi dicunt, perridiculū videtur, cum omnia quæ corruptioni obnoxia sunt, frigore diutius integra conseruari vulgo, nedum philosophis notum sit. Imò tantum abest, vinum in magnis caloribus in frigida impositum, vt isti putant, corrumpi, vt potius à corruptione arceatur: quemadmodum etiam agriculturæ scriptores docent, calido tempore in cella frigidiorè ac Septentrionem versus sita, ne corrumpatur, sed diutius à calore incorruptum asseruetur, vinum collocare iubètes. Hoc quidem fateor, vinum in frigidam diutius immisum, colore & substantia mutari, & à primis suis qualitatibus propter nimiam frigoris intentionè, diuersum fieri: haud tamen vinum refrigeratum simpliciter & absolute improbandum. Quòd si niuis vel glaciei admistione perfrigeratum damnant, lubens assentior: hoc autem indicandū fuerat. Nam quæ damna vini in frigerati vsum sine adiunctione inferre docent, Galenus niuis vsu minime verò vini contingere tradidit: quod quibus fa-

*Lib. de bo-  
no & ma-  
lo succo.*

cilè verbis ipsius diligentius expensis intelliget:  
sunt autè hæc: Proeply chrismena vina vocare me-  
dici solent vina antea gelidissima aqua refrigerata,  
vase videlicet, quo vinum continetur, aqua indito.  
Atque hæc ego ijs confulo, qui vitam negotijs ple-  
nam degunt, cuiusmodi sunt, qui gentibus, ac ciui-  
tatibus regendis præsumt, horumque in primis mini-  
stri: nec sanè minus, qui militiam exercent, aut iter  
longinquum ingrediuntur. At quicumque negotijs his  
soluti degunt, ijs, siquidè, vt soliti sunt, se exercent,  
perquam rarò frigidæ vsus necessarius fuerit. Quòd  
si non exercent, ac calor multum perferant,  
& state vigente, tutò ij fontanam biberint, repudia-  
ta niue. Nam tametsi ipsa statim nix noxa sensibili  
non videatur iuuenum corporibus officere, in-  
crescente tamen, temporis processu, occultò, pau-  
latimque noxa, vergente nempe astate, articuli his,  
neruique, ac viscera morbis corripuntur, vix aut  
nunquam sanandis. Ac verisimile certè fit vt vnicui-  
que ea potissimum corporis pars afficiatur, quæ na-  
tura omnium maximè infirma fuerit. Hæc Galenus.  
Addit Simeon Sethi glaciè niue, eò quòd terrestrior  
sit, deteriorem esse. At niualem aquam peiorem  
glaciali censet Hippocrates, vt quæ lithiasin, stran-  
guriam, & renales dolores inferat. Sed ex recitatis  
Galenus verbis clarè apparet quam inconsideratè vi-  
num æstiuis mensibus arte refrigeratum absolutè  
improben, cum magis temperatè frigefactum  
commendandum sit: maximè cum nullum animal  
calidos pot' amet, nec ij naturales sint: tepidi verò  
vomitus nauisamve excitent. Nullus tamen me-  
dicorum



dicorum laudauerit Cyclopem apud Theocritum  
suas delicias his verbis iactantem:

*Nec gelidum spirantis aqua gratissima defunt  
Flumina, de summis nemorosa rupibus Aetna  
Liquata iucunda niues mihi pocula praebent.*

Hæc cum Antoninus noster dixisset, tum Satyrus exclamauit:

*Felix qui rerum potest discernere causas.*

Sed de his satis dictum inquit, nunc alia boni vini *Alia vini  
optimi  
indicia.* indicia quam breuissimè potero, dicam. Omnes nouerunt vini medium optimum esse, quare Herodotum illud præceptum laudatur,

*Dolia quum ad summum turgent distenta Lyæo,  
Aut dum se ostendit fundus, satiere memento,  
At bibito parcè, media dum subsidet aluo.*

Admonet verò vinum ubi ad medium vas ventum est, parcè bibendum esse: nimirum quo sapius suauitate eius oblectari liceat. Præterea vinum mediæ ætatis vel in optimo genere commendant: nouum enim nondū defæcatum est: vetus autem eam quam quærimus suauitatem iam amisit. Atque dicit quidam se Falerno vino delectari, sed eo necita nouo, vt proximis consulibus natū velit, nec rursus ita vetere vt Opimium, aut Anitium consulem quærat. Hæc, ait Satyrus, mihi ferè in mentem veniebant, quæ de præstantioris vini indicij dicenda putarem. Vos autem si quid præterea à me discere vultis, dicite. Tum Antoninus, dicitur nobilissime Satyre, inquit, quæ vina magis minùsve inebrient. Quia tuus Hippocrates quogue, inquit Periboetos, vinum dulce vinoso minus

*Cicero in  
Bruto.*

*Vinū ma-  
gis minùs  
ve inebra-  
ans.*

*Lib. 3. de  
Sicil. acut.  
aph. 2.*

caput grauare, minusque mentem ferire docet, scias vina vinosa dicta, vehementer calefacientia, caput plurimis humoribus vaporibusque replere: Dulcia autē quo magis à vehemēti caliditate absunt, eò minus cūm caput grauare, tum mentem lædere: imò etiā dulcedinē ebrietati aduersam, mustum verò ad ebrietatem inducendam omnino ineptum esse. Albertum enim qui mustū amplius inebriare quā vinum contra Plutarchum & experientiam astruit, minimè sequaris. Sed austerā vinā, caput inter omnia vina minimè tentant, & propterea ij qui problema, cur si quis vinum austerum dulci superbibat, non inebrietur, proponunt, nihil mirabile afferunt, cūm neutri natura ita comparata sit, vt id efficere possit. Vinum etiā, philosopho teste, si mediocriter coquatur, & deinde bibatur, minus inebriat. Inter coquendum enim vis eius euāescit. Haud minus verò hordeaceum vinum ab Ægyptijs primū repertum bibentes inebriat.

*Athena-  
us lib. 1.  
C. 10.  
Cernisa  
historia  
hic inci-  
pit.*

Atqui Aristoteles libr. de ebrietate scribit, propriū esse hordeacei siue qui ex frugibus fit potus, vt ex eo ebrij facti supini cadant, cū ex alijs potionibus ebrij quamlibet in partem labi soliti sint. Hęc cū dixisset Satyrus, tum Philomathes ambulationis nostre socius quæsiuit, iurēne ceruisiam cauilletur epigramma Græcum quod Erasmus Latinum reddidit:

*Bacche quis? unde venis? verum tibi de iero Bacchum  
Te haud noui, tantum est cognitus ille Iouis.  
Is nectar redolet, hircum tu, dic age num te  
E spicis finxit Gallia vitis inops?*

*Non*

*Nonigitur Bacchum te dixero sed Cerealem*

*Et frumentigenam, nec Bromium, imò Bromum.*  
Habet, inquit, nobilissime Periboete epigramatis  
verba: tu quid sentias audire aueo. Tum Satyrus,  
atque potius Antoninus medicus ceruisiæ histo-  
riam & naturam edoceat: ego enim ab Apolline  
cibi & potionis naturam discendam puto. Hic An-  
toninus,

*Adus leuitia Bacche dator, & bone Bacche,  
Non Pelusiaci curam asperneris Iacchi.*

Maximum, inquit, nostræ ætatis hominum vi-  
tium esse constat, quòd nimis magno studio, mul-  
taque opera res externas easdemque minus neces-  
sarias inquirunt, ac earundem naturæ cognitionem  
habere cupiunt: domesticas autem & familiares,  
quarumque quotidianus vsus necessarius est, tan-  
quam natura ac vis earum ipsis perspectissima no-  
tissimave esset, negligunt, nemoque veram & so-  
lidam earum cognitionem querere laborat. Nam,  
vt ex multis exemplum vnum indicem, quis inter  
tot ætatis nostræ scriptores ceruisiæ, quam Poloni  
pivo, Græcam dictionem pînon, qua Aristoteles  
vsus est, imitati, nominant, historiam veram expo-  
suit? Omnes cum apud veteres zythi potû insalu-  
brem esse legerint, eorum è frugibus potus diuer-  
sos à nostris fuisse cõfidenter asserunt. Ajunt enim  
experientiam docere, Septentrionales homines,  
qui nihil ferè aliud bibunt quam ceruisiam, & pul-  
cherrimos, & saluberrimos, & robustissimos esse.  
Præterea non tam frequentes arthritides, poda-  
gras, chiragras, conuulsionones, distentiones, epile-

ptias, apoplexias, calculos, in Septentrionalibus regionibus conspici, quàm in alijs quorum incolæ vinum tantùm bibunt. Hæc quidem vt vere à medicis dicantur, tamen veterum è granis potus diuersos ab hodie vsitatis fuisse, minimè conuincunt: quod ex Simeone Sethi, qui præcos ex quorûdam autoritate zythum in multis esse vtilem incolunitatem sanitatemque præstare dicens, redarguit, discere poterant. Sed neque si vires contrariè sint, ea ratione statim diuersos esse rectè concludetur, nam materia etiam, eiusdemque præparatio, ad quæ vires consequuntur, consideranda fuerint. Fit autem ceruisia zythumve ex hordeo, tritico, olyra, auena, oryza, panico, milio, & quibusdam radicibus. Ex hordeo aut tritico plerunque veteres authore Dioscoride parabant: ac etiam hodie maior pars Septentrionalium ex iisdem conficit. Ex olyra & auena quosdam olim fecisse Constantinus Cæsar libro septimo agriculturæ autor est: at nunc Lituaniæ plebs, Moscouitæ, alijque Sarmatiæ incolæ ex auena confecta ceruisia frequentissimè vtuntur. Ex oryza Alianus quosdam parasse tradit: & nunc ex eadem fieri paulò post dicam. Panico & milio nonnullos confecisse rursus Constantinus Cæsar scribit: sed & hoc tempore Tartari, sicuti olim Pannonij, ex milio parant. Tartari verò & Turci hodie ex diuersis seminibus, auenæ nempe, milij, hordei, ac frumenti Saracenicij dicti, inuicem commistis, ceruisiam parant. Sciendum autem ex potionibus, vt Corn. Celsus docet, quæcunque ex frumento facta est, plurimum alimenti præbere: firmio-

*Ceruisia  
materia.*

*lib. 2,  
cap. 13.*

firmioremque esse, quo firmitus fuerit ipsum fragmentum. At ex radicibus quosdam confecisse apud Athenarum autor est Ellanicus, idemque Eustathius in suis Homeri interpretationibus confirmat. Atque hæc de differentijs materię ex qua ceruisia olim parabatur, & hodie etiam conficitur, dixisse satis sit. Nunc num veteres eodem modo quo nostri ceruisiarij solent, fruges pro zytho coquendo præparauerint, consideremus. Aëtius videtur clarissimè hordei præparationem, quomodo hodie à Septentrionalibus ad ceruisiam coquendam parari solet, descripsisse, vbi dicit, Byne (alludit ad hanc dictionē Germanica appellatio ipsius ceruisia, vna namque litera mutata byre dicunt) est hordeum madefactum quod germen emisit, & deinde vnà cum enatis ligulis tostum est. Atqui clarissimè apparet Galenum ipsum, & qui eum sequuti sunt, Paulum, Orbasium, Aëtium, & reliquos, similem hodie consueta frugum præparationem cognouisse, cum scribunt zythum non parum hordeo acriorem esse, ex putredine acrimonia contracta, paululum enim vbi maceratum fuerit, putrefieri per mitteri, deinde exiccari atque torreri. Sed C-rosius historicus breuiter veterum zythum conficiendi rationem descripsit. Numantini, ait, diuturna obsidione oppressi, duabus subitò portis in hostes eruperunt, larga prius portione vsi, non vini, sed succi tritici per artem confecti, quem succum à calefaciendo celiam vocant. Suscitatur enim illa ignea vis germinis madefactæ frugis, ac deinde sicatur, & post in farinam redacta, molli succo ad-

*Frugum  
pro cerui-  
sia confic-  
enda præ-  
paratio.*

*Lib. 5.  
cap. 7.*

○

*Duplex  
ceruisia.*

miscetur, quo fermentato sapor austeritatis & calor ebrietatis adjicitur. Tanta profectò inter hunc Celiã, ita enim Hispani Plinio autore ceruisiam appellabant, conficiendi modum, hodieque vsitatum similitudo est, vt ouum ouo similius esse non possit: nisi quòd hodie fax ceruisiæ vicem fermenti obrinet. Arqui manifestum est ex Simeone Sethi duo ceruisiæ genera veteribus in vsu fuisse: vnum simplex, facultate frigidum: alterum compositum, calidum & siccum. Simplex zythum dicebatur ex frugibus & aqua absque alio additamento paratum: sicuti & nunc qui ad Austrum habitant ceruisiam leuiorem minùsve inebriantem ex oryza absque lupulis, perinde ac Angli Scotique suam halam, parant: atque ego nautas Lituanos ex tempore tritico in aqua cocto conficere vidi. Compositum verò zythum nominabatur, cui præter fruges & aquam plura addebantur, partim vt diutius incorruptum duraret, partim vt magis minùsve inebriaret. Hunc autem apparandi modum tardius excogitatum fuisse constat ex Plinio, qui Hispanias vetustatem potus genera ex frugibus ferre, docuisse scribit. At Hecatæus apud Athenarum clarè ceruisiam simplicem à composita nomine & re distinxit, dicens Pæones bibere ceruisiam ex hordeo paratam: Parabiam verò ex milio & conyza. Et certè hic veterum ceruisiam condiendi modus mirificè cum hodierno congruit: conyzam enim perinde ac lupulum, amaram & acrem gustui apparere, ex calfacere & siccare tertio gradu, aperire, & incidere, Galeni & Pauli testimonio constat. Puto tamen

*Lupuli a-  
pud Veteres  
recen-  
sioresq;  
succeda-  
nt.*

tamen conyzam tanquam odore præstantiorem, validiorem magisque inebriantem potum, quam lupulum, reddere. Minimè autè mirum cuiquam videri debet, veteres ceruisiam suam conyza gravis odoris herba condidisse, cum hodie quidam chamæpeuce Cordi, quæ vera erica est: alij verò sylvestris serpilli specie, Szmer Polonis dicta: grauisissimi odoris plantis lupuli vice ceruisiam condiant: ac quorundam ceruisiarum flagitiosa temeritas in eo notata sit, quòd hyoscyamum ceruisiæ incoxerant, quò caput magis tentaret: bonitatis nimirum esse argumentum existimantes, si caput feriat, aut mentem furiatam reddat. Sed hæcenus satis multis rationibus veterum zythum à nostra ceruisia neque materia, neque præparatione, neque condiendi modo, diuersum fuisse, ostendi. Nunc, ne quis dubitet amplius hocce potus veterum recentiorumque similes fuisse, viribus quoque conuenire ostendam. Zytho veterum vsi sunt populi quorum regiones vitibus propter nimia aëris frigora carebant: & nunc plures propter eandem causam ceruisia vtuntur. Ægyptij hordeaceum vinum (ita quidam zythum nominabant quòd haud multum inferius sit virtute gustuque vino: nos etiam vinosum saporem in pluribus ceruisiis percipimus) bibentes, ita oblectabantur, vt canerent, saltarent, omniaque facerent, quæ temulenti consueverunt: & hodie nos idem in tabernis ceruisiariorum fieri videmus. Zythum antiqui ex vino conceptam crapulam sedare existimabant: & hodie bibuli quidem ceruisia sibi medentur. Nostra

*Ceruisia  
faculim  
tes.*

ceruisia similiter ac veterum zythum capitis dolore inducit, yrinam mouet, neruos tentat, membranis officit, inflationem parit, elephantia sin gignit. Caput ceruisiã offendere rustici ebriosi quotidie exemplo manifesto edocent. Aetius nutriti deficiente lacte, ad reparationem eius zythum bibendum consulit, eademque die vbera optimo lacte plenissima fore promittit: quod ceruisiam etiam prestare, multiplici experientia nobis constat. Vrinã ciere, qui vesicam partẽ corporis neruosam & membranofam paululum debiliorem à natura habent, indies magna, ob frequentioris mictionis necessitatem, molestia experiuntur. Inflationes parere pueri sentiunt, & magni lienes frequenterque ventositatibus repleti indicant. Elephantia sin melancholicum malum etsi fortè non gignat, tamen plures Oceani Germanici accolas, non tam propter piscium salforum infumatorumque frequentem vsum, quàm propter ceruisie hordeaceæ crassiorisque nimium vsum, facies elephantiorum similes habere, Scorbutoque ab ipsis nuncupato morbo affici, putandum est. Cleomenes Spartanus, cum apud Scythas quorum potus zythum erat, merum potare dedidisset, in furorem redactus est. Atque melancholica affectio frequens est apud ceruisiæ potores, præsertim si à vino ad id genus potionis deuenierint: auget enim melancholicam ceruisia, nisi lupulorum latiuorum flore foliato, ipsi artificiosè incocto, salubris reddatur. Num verò perfulsum ceruisia ebur, obsequiosum & operi tractabile reddatur, quod Dioscorides & Plutarchus



tarchus zytho attribuunt, etsi mihi non constat: tamen certo experimento plurimum eius usum in duris mammillarum aliarumque corporis partium tumoribus emolliendis prodesse, cognoui. At spumæ etiam vires, veterum ex frugibus potus, & Hispaniæ, autore Plinio, frumenti in potum resoluti spuma concreta pro fermento vtebantur: qua de causa leuior illis panis erat. Ac eadem spuma fœminæ cutem in facie nutrire solebant. quos quidem effectus nostræ quoque ceruisiæ spumam præstare, cuius notissimum esse puto. Accutum etiam ex zytho veteres, perinde ac nostros hodie ex ceruisia parasse, Eustathius in Homeri interpretationibus clarè docet. Sed de his satis. Nunc vt sanitatis conseruandæ studiosum artem qua salubrem insalubremque liquoris ex frugibus potum dijudicet, edoceam, breuiter ceruisiæ differentias exponam. Est namque tanta salubris insalubrisque ceruisiæ dissimilitudo, quanta in materia, coctione, consistentiâ, colore, odore, sapore, ætate, & vasis in quibus conseruatur, differentia deprehenditur. De materia copiosè dixi: de reliquis pauca iam dicam. Dissimilitudo coctionis, ex artificis scientiâ ac diligentia, item lignorum copia & inopia: consistentiæ, ex materiæ siue frumenti copia & coctionis mora: coloris ex frugû preparatiōne, lupuli maturitate, coctionis tēpore: odoris, ex lupulo eiusve succedaneis, coctionis ratione, itēque vase in quo cōseruatur: saporis proprii ex materia: alieni, ex negligenti præparatiōne, vase, & ætate:

Lib. 18,  
cap. 7.

Ceruisia  
differen-  
tia.

atatis, ex tempore: vasorum, ex ligno, pice, pendet.  
Differūt aut̄ præterea ceruisiæ regionib. siue locis,

*quorum nec nomina quot sint*

*Est numerus: neque enim numero coprendere refert.*

*Quem qui scire velit, Libyci velit æquoris idem*

*Discere, quàm multa Zephyro turbentur arena:*

*Aut ubi nauigijs violentior incidit Eurus,*

*Nosse quot Ionij veniant ad littora fluctus.*

Hæc mihi, inquit Antoninus ad Philomathen conuersus, mihi ferè in mentem veniebant, quæ de ceruisia dicerem: tu potius testimonia & argumenta pōderes, quàm numeres. Haud enim quàm multa dicantur, refert, sed quàm vera. Quòd si fortè maiorem veterum autorum cognitionem mihi attribuisse videor, consideres velim diuturnis laboribus quasi ex pacto deberi fructum cognitionis eius artis, in qua elaboraueris, hoc est, sedulo & diligenter versatus fueris. Sed ceruisiæ historiam profecti, quonam modo medonis vulgò nominati omittemus? Nimirum & hanc dicere conueniet. Inprimis igitur constat veteres melicratum, recens: hydromeli, sepositum vt feruetur vocasse: atque hoc ad condiendum varijs modis parasse: ex quibus tamen nullus cum hodierno medonem conficiendi modo melius conuenit, ac à Mesue descriptus his verbis: Fit etiam aqua mullæ ex mellis parte vna, aquæ fontanæ partibus octo, fermenti in his dissoluti vncijs tribus, in centū mullæ libras, quæ omnia multi modo efferuescenda in ligneum cadum coniiciuntur, non tamen ad summum repletum. Vbi verò deferuerit obturato vase, asseruetur

*Medo.*

netur vini modo ad potandum, verum tamen non bibatur, nisi tertio mense transacto. Huic mulsæ aromata quoque immitti possunt linteolo inclusa, & adalligata. Hæc Metues: qui fermentum absque dubio addidit, quo acceleraret feruorem, & acriorem redderet: quemadmodum Lituani & Rutheni potui sibi familiarissimo ex vulgari branca vrsina ac malis syluestribus facto fermenti aliquid injiciunt: atque Vergilius pastores Scythiæ fecisse his carminibus cecinit:

Georg. 3

*Et pocula lati*

*Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.*

Sed fermenti loco mulsæ hodie Poloni, Prussi, Lituani, Russi, Massouita, Samagita, qui medonis plurimum bibunt, quod melle plurimo abundat, lupi salictarij flores cum ceruisiæ facibus, non autem vini musti recremento, ut quidam temerè scribit, ignorans horum populorum regiones vitibus, & propterea vini musti recrementis carere, miscet. Præstantissima autem mulsæ Cauunæ, quod oppidum situ, ædificijs, nobilissimorumque mercatorum humanitate iucundissimum, in confluente Nemenis (hunc à veteribus geographis Chronon appellatum volunt: Germani Memelam vocant) & Viliæ fluuiorum in confinio Lituaniæ & Prussiæ situm est, conficitur: deinde Vilsæ primaria amplissimi ducatus Lituaniæ vrbe. At inueterata mulsæ, cumque aromatibus decocta, citius alijs ebrium facit. Nec ceruisiæ modò, aut medonis potu caput tentari atque ebrietate percelli, verum mel quoque inebriare lectum est. Apud Orpheum namque ve-

tulissimū poëtam Saturnus ab Ioue filio per mellis poculum insidijs capitur, quo saturatus inebriatur, & acto in vertiginem capite, qualē vini copia excitat, obdormiscit, itaque comprehenditur, victusque virilibus priuatur. Ita & apud Platonem, Porus calamitatis deus nectare ad fatietatem hausto inebriatur. Scythæ lactis tenuissimas partes, ignis vi sublatas, atque à crassiorib. separatas, quod vulgò sublimare dicitur, in vsu habent, præsentissima facultate ad inebriandum. Sed & aquæ quædam præter opinionem omnium, vini modo temulentos faciunt: sicut amnis Lyncestis,

*Quid. Me  
ramorph.  
lib. 15.*

*Quem quicumque parum moderato gutture traxit,  
Haud aliter tiubat, quam si mera vimabibisset.*

*Medica-  
menta Si  
volenta.*

*Cap. 209.  
277.*

Eandem autem vim habent aquæ fontis cuiusdam apud Ligures, & in Paphlagonia & in agro Caleno. Sunt & fructus quidam inebriantes: lori arboris nempe, myrti & phœnicobalani copiosiores in cibo: item poma autantia. Atque nucis Indicæ liquor coctus sapam excellentissimam imitatur, estque ad inebriandū, Scaligero teste, efficacissimus. Vini ebrios facientis ex dauci radicibus Apomalar lib. de insomnijs mentionem facit. Arabes quoque cannabis folia pro vino esitant, quæ ebrietatem quandam admirabilem inducunt. Sed & viticis semen potum vini quendam saporem habet, caputque vini modo tentat. At, heu miram vitiorum solertiam, inuentum est quemadmodum vinum citius & fortius inebriet: alij enim in vinum addunt pastinacæ sylvestris semina, alij cyclamini radices, Turcæ pulueres florum hermodactyli vulgaris:

garis: quidam sal miscent, alij sordes aurium, alij ambarū, quod etiam à potu olfactum ebrietatem accelerat: alij lignum aloës vino imponunt: quidam decocto corticum mandragoræ permiscent: nonnulli succum malorum aurantiorum commiscent: alij sarmenta vitium accensa in vino extinguunt, ita citius inebriare credentes. Atque Theophrastus tuberis radicem in vino potui datam, ad ebrietatem inducendam valere autor est. Oenotheræ verò radix in vino hilaritatem affert, eodem & Plinio testibus. Atque, vt Græci quidam scriptores prodiderunt, Scythæ si quando ebrietate se oblectare volebāt, lege autem & consuetudine vino abstinerent, ne quid contra institutionem & morem facerent, coniectis in ignem quibusdam herbis, & fumo hausto, non aliter quàm vino potu, ebrii fiebant. Thraces item cum sodalibus epulantes, & ad focos sedentes, herbarum quarundam semine igni iniecto, illius nidore & fumo mirificè exhilarabantur, & temulenti reddebantur. Babylonij etiam fumo, ex cuiusdam arboris fructu in ignem coniecto, hausto, more ebriorum saltabant, ac vociferabantur. Hodie videas naucleros plerosque omnes ex India & Portugalia redeuntes gestare pusilla infundibula ex folio palmæ aut storea confecta, quorum lateri extremo inserta sunt cōvoluta folia & cōminuta siccata Nicotianæ: istud illi accendunt igne, atque hianti ore quantum plurimum possunt, inspirando fumum sugunt, vnde sibi famem suamq; sedari, vires instaurari, spiritus exhilarari asserunt: sopiriq; iucunda ebrietate

*Lib. 9. de  
hist. plant.*

*Vide Ges.  
epist. pag.  
79. Herbarum  
Antwerp.  
Pena &  
Lobelij  
pag. 252.*

cerebrum dicitant: non tamen citò hic fumus inebriat, nec frigore dementat, sed quadam aromaticitate vapida ventriculos cerebri imbuunt. Sed si quis diligentius vinolenta medicamina exquirere velit, in nullo vitio operosiores homines inueniet, quàm vt conuiujs fortiora quàm sibimetipsis vina ministrare, aut procedente mensa subijcere possint, quo temulentos dimittant. Hinc medicorum solertia eorum causa qui nonnunquam temulentorum conuiujs interesse coguntur, tot medicinas amethystas cognitu iucundissimas exquisiuit, quas priusquam enumero, pauca quedam præcepta potaturis obseruanda exponam, exortus à grauissimo Plutarchi dicto, quod admonet maximè cauendam ingurgitationem, ebrietatem, & immodicum deliciarum vsu, his qui solenne epulum sint celebraturi: aut qui amicos apparant conuiuio accipere: aut futurum est vt à diuite quopiam, aut principe, conuiuio splendido adhibeantur, expectentque commune bibendi certamen, quod recusare non liceat: quò nimirum iam tum in tranquillitate corpus expeditum ac leue reddant, velut aduersus imminentem ventorum ac vndarum tempestatem. Siquidem perdifficile fuerit, in cœru hominum, & inter inuitatiunculas illorum, teipsum intra mediocritatem, solitamque temperantiam continere, vt non mox in Græcorum conuiujs obseruatam legem, aut bibas, aut abeas, ab iratis audias. Atque qui manè ientaculum moderatè sumunt, minus vino, etiamsi largius bibât, offenduntur: perinde ac inexercitati quoque plus bibere possunt,

*Præcepta  
potaturis  
obseruan-  
da. Lib.  
de medi-  
ca  
bona Sa-  
letud.*

possunt, faciliusque vino leuantur: vtrique scilicet propter humores in vijs cōtentos, viniq; vaporum ad caput ascensum impediētes. Ad hęc non multum inter potandum, loquēdum: & quidē ob duas causas: primū quod veram ebrietatem accelerat: deinde aonon illa longē turpiorem inducat. Pręterea qui vini potationi indulget, cibo non valde se expleat. Aristoteles verō refert ex maiorum fide, eos qui assatim, sineque respiratione bibunt (quod amyntizein Græci vocant: Plinius non respirare in hauriendo dixit) in temulentiam minimē omnium incidere: nec enim immorari merū, sed floris impetu propelli corpusque peruadere: qua ratione etiam ij, qui amplo fœcundoque calice hauriunt, minus inebriantur. At eum qui diuerso vino vtitur, in repentinam ruere ebrietatem, necdum hoc potus copia postulante, nemo ambigit. Cuius rei causam apud Macrobiū Eustathius hisce verbis exponit: Potus, inquit, vt natura leuior, mox altum petit, & cerebrum, quod in vertice locatum est, ferit fumi calētis aspergine. Et idēdō varia vina vitantur, ne res quę ad possidendum caput repentina est, calore tam diuerso quā subitō consilii sedem fauciet. Quidam verō admonent ne vasa quidem vina continentia potanti spectanda. Sed his paucis artis bibendi pręceptis expositis, iam medicinas amethystas quę in mentem venient ordine alphabetico enumerare incipiam, tu Polymathe diligenter quę sint, obseruato.

*Vide pro  
verbiūm  
ebrietatis  
absque  
vino.*

*Aristot.  
probl. 14,  
sect. 3.*

*Satura.  
lib. 7.*

*Mite caput pater huc, placatque cornua veritas  
Et des ingenio vela secunda meo.*

*Medici-  
na ame-  
thyſta.  
De viſi-  
rat. in  
morbis ac-  
curis ſect.  
4, aphor.  
90.*

*Probl.  
ſympoſ.  
decad. 3,  
probl. 1.*

Præſtat igitur abſinthij cremorem ante potationes ſumere, præ omnibus enim ebrietatem maximè arcet. Idem autem abſinthites vinum præſumptum facit. Allium eum qui potaturus ſit, & ſeſe crapulæ daturus, vorare, optimum eſſe autor eſt Hippocrates. Amethyſtum ebrietati contrarium ſcribit Ariſtoteles ſi umbilico apponatur. Sic enim oppilantes fumoſitates vini, ad cerebrum pertinere non poſſe arbitratur, vt rationem ſeducant. Atque Plinius ſcribit, magorum vanitatem amethyſtos ebrietati reſiſtere, & inde appellatos, promittere. Sed Plutarchus qui amethyſtū, tam herbam, quàm cognominem illi gemmam ſic dictam arbitrantur, quòd aduerſus temulentiam præſidio ſit, longè hallucinari dicit: vtrique enim à colore nomen inditum. De lapide quidem ſatis conuenit: cæterum herbæ folium emaculatum eſſe, ſed violæ, & diluto aquæ admixtione vino adſimile idem tradit. L. Apuleius verò amethyſti nomen antirrhino cuius ſtos purpureus attribuit: atque Ouidius amethyſtos purpureos dixit. Dionyſius in deſcriptione orbis Indos Orientales in ripis alueorum amethyſtos ſuauius herbarum propter florum, an foliorum colorem amethyſti nomen impoſitum parandum ſit, eruditiores iudicent: nos ad propoſitum noſtrum redeamus. Amethyſtos Æthiopicos verè ebrietati reſiſtere nonnulli aſſerunt: ſunt verò rubini ex Oriente Æthiopum amethyſti, quos Heliodorus libro quinto Æthiopicæ hiſtorix pereleganter his verbis deſcribit: At, inquit, amethyſtus Æthiopicus



thiopicus ex profundo vt ignis rutilat: quòd si tenens illum circumuetes, radium proijcit aureum, non obscurantem asperitate visum, sed gratia quadam & puritate singulari illustrantem. Atqui & ipsi vis inest genuina præ amethystis Occidentalibus, non enim falsò sibi vendicat appellationem, sed verè arcet ebrietatem, ab eo à quo fertur, sobrium illum in conuiujs retinens. Paulus Venetus in libro de regionibus Orientalibus scribit, regem insulæ Seilam habere pyropum, id est rubinū, longitudine spithami, spissitudine triū digitorum dimensionem adæquantem, qui vt ignis coruscat, omni carens næuo, aut macula, quem Cham ille magnus ciuitate satis præclara ab eo licitatus feratur: Sed Seilam precium gemmæ inæstimabilis recusasse. In medicina nihil aliud de eo compertum haberi, quàm crapulam concoquere, oculos caligine suffulos illustrare, & cordis spiritus fouere. Amygdalas amaras quinq; aut septem à ieiuno comestas plurimorum medicorum testimonio ebrietatē arcere constat, meminitque Plutarchus quendam medicum qui inter Drusi Tiberij Cæsaris filij familiares cunctos bibendo superauerit, quinas senasve amygdalas amaras, vitandæ ebrietatis causa, ante potum deuorasse. Eundemque quoties aut prohibitus, aut diligenti obseruatione interpellatus non assumpsisset, ne minimo quidem tempore ebrietati resistere potuisset. Causam verò putat amaritudinis exiccandi, humoresque absumentis cultatam esse. Dioscorides in euporistis emulsum amygdalarum amaratū cyathi vnus mēsurā ebrie-

*Probl.  
Sympos.  
decad. 1,  
probl. 6.*

*Bernhardus Def  
senius in  
Athana-  
sia ma-  
gna.*

tatem arcere tradit. Apij semen si præsumatur ebrietatem arcere autor est Simeon Sethi. Atque quidam recentiorum maiori experimento, quam quod de amygdalis amaris vulgò fertur, apij siue petroselini vulgaris semen ante potum comestum ebrietatem remorari & arcere testatur. Aquam si quis mox à vini potione superbiberit, minus caput mentemque tentabit. Inde rectè Plinius aquæ potum interponere vtilissimum, itemque iugisuperbibere ebrietati dicit. At verò vinum dilutum, quia arctiores meatus, subtiliatum aquæ accessione, facilius penetrat & cerebrum lædit, semper ferè inebriat. Si quis lapidem qui reperitur in capite piscis aquilæ marinæ, cum vino biberit, non sentiet omnino se bibisse: Et si gestet lapidem collo appensum, meri vel lagenam bibens non sentiet. Kiranides. Si voles, dicit Cato de re rustica, in conuiuio multum bibere cœnareque libenter, ante cœnam esto crudam brassicam quantum voles ex aceto. Et, vbi cœnaueris, comesto alia quinque folia, reddent te quasi nihil ederis biberisque, bibesque quantum voles. Medici brassicam crudam coctamve inter potandum edendam consultant: plurimique Ægyptiorum in medicinas amethystas semen brassicæ admiscebant autore Athenæo: qui eosdè inde vinosos redargui tradit, quòd ante alios cibos brassicam coctam edere soliti essent. Vt ex multo vini potu quis non inebrietur, pulmonem caprinum asflatum comedendum consultit Africanus. Plinius hædium pulmonem asfumum ieiuni cibo sumptum eo die ebrietatem arcere dicit.

*Hippocr.  
de Vict. &  
cur. lib. 3,  
aph. 41.  
Celsorus  
de aqua-  
til. fol.  
86.  
Cap. 156.*

*Actius,  
Paulus,  
Orbasius,  
&c.*

dicit. Inter ea quæ præsumpta ebrietatem arcant, recensetur à Dioscoride in euporistis ceruina caro sale condita assataque. Potor vini non inebriabitur, si chamæpityos ramulis fuerit coronatus: Africanus. Crocum qui ex passo biberint, crapulam non senturos autor est Dioscorides. Plinius coronam ex croco capiti impositam, temulentiam mitigare scribit. Quærit Aristoteles cur si quis cyceonem inter potandum hauserit, sobrius perfiltere possit: conijcit autem id fieri, quod superficialis calor ita supprimatur. Sed necessarium fuerit diligentius inquirere quid per cyceonem intelligere oporteat. Phauorinus potum ex varijs herbis compositum esse, dicit. Suidas potionem ex differentium rerum mistura temperatam definit. Eustathius in suis in quintum Iliados librum Homeri interpretationibus, cyceonem misturam cibi & potionis esse, scribit. Sed nullus plenè ex quibus fiat expressit, quare locum Homeri in quo cyceonem satis multis describit, subiungam. Iliados igitur vndecimo cyceonem esse potionem ex vino, melle, aqua, farina siue polenta, & caseo confectam in hunc modum cecinit:

*miscens mulier quæcumq; parandum*

*Ad cyceona valent, affudit Pramnia vini*

*Munera, caseolòsque addens è lacte caprino*

*Ærato secuit cultro, tum grana minuti*

*Pollinis aspergens, commiscuit.*

Hippocrates libro de internis morbis floridū cyceonem, Homericò ferè similem, his verbis describit. Accipito apij radices, anethum, rutā, menthā,

*sect 3,  
probl. 12.*

coriandrum, papauer tenerum, ocimum, lentem, mali punici dulcis & vinosi succum, oportet autem dulcis duplam mensuram esse, ita ut vtriusque succi simul sit hemina dimidium, & vini nigri iucundi austeri hemina dimidium: postea flores triti in hoc diluantur permisto, & in poculum infundantur: & postea farinae erui acetabulum adijciatur, & polentæ farinae tantundem, & casei veteris caprini rasi tantundem, & hæc permista ebibat. Ex his quidem Homeri & Hippocratis verbis manifestum est cyceonem cibi & potionis misturam esse: sed varijs modis apparasse antiquos, miscentibus alijs alia cum potione: omnibus verò farinam addentibus. Vnde Erotianus in expositione vocū Hippocratis, cyceon, inquit, est potus farinae permistus. Et Eustathius in vndecimi Iliados libri interpretatione, Hippocratem, qui in secundo de victus ratione in morbis acutis, cyceonem quosdam forpsisse scripsit, quodam modo exponens cyceonem medium inter cibum & potionem tenere, esseque tanquam pulvem siue ius forbile dixit. Haud verò, ut ex verbis Hippocratis quæ libro de muliebribus affectionibus secundo pagina editionis Græcæ 265 leguntur, & lib. de diætâ secundo, pag. 92. quiuis facillè perspiciet, semper vinum, quod nuper quidam affirmavit, addebatur. Sed veteres huiusmodi ciborū cum potione mistura frequentius vfos fuisse ex Galeno colligimus, qui alicā ex vino frigido & mulso nihil mali succi in se habere dicit. Præterea ex Athenæo quoque, qui Perlas in castris vinum cum farina commistum bibisse, similēque

misturam

*Lib. 10.*

misturam calicem pentaploa dictum continuisse, tradit. Heluetij sanè etiam hodie ex aqua, sale, & triticea auenaceave farina in butyro frixa, cyceonè suum ( cui sæpius vinum quo suaviorem reddant, affundunt ) frequenter: interdum ex casei rasilis Glaronensis aliquot aromaticis herbis conditamentis: Poloni suum ex aqua fermentata, farina brançæ vrsinæ, & vitello: alij suum ex vino vel certuisia, ouorum vitello, saccharo, & butyro, additis aromaticis, parant. Atque Carthaginensium pulstem à Varrone cap. 35. de re rustica descriptam: Romanorum verò dodram potionem quæ ex nouem rebus fiebat, autore Auosio in hunc modum ludente:

*Dodra vocor. que causa? nonè species gero. que sumi?  
Ins, aqua, mel, vinum, panis, piper, herba, oleum, sal:*

Cyceoni similes misturas fuisse arbitror. Huiusmodi autem cibi cum vino misturam, vt ad propositum sermonem redeam, ebrietatem tardare Galeni etiam autoritate constat. Aliquando, comment. in sextum de morbis vulgaribus librum ait, ego quempiam capitis dolore vexatum sine cibo vino vti iubès, multis subitò calidis vaporibus affectum locum petentibus, eum vt fui veritus, magis cruciatum animaduerti. Ego profectò vinum sine cibo potum læsum ire arbitrabar, & experientia idem testata firmiorem opinionem meam reddidit. Cyceon autem cum in se ipsum cibum contineat, offendere nequaquam poterit: nã ex vtriusque mediocri mistione, æquabilis paulatim calefactio in partibus affectis augetur, sine multis vaporibus,

*Probl.  
sect. 19,  
probl. 19.*

& refrigerata calefacit, & intensa digerit: hæc Galenus. Sed dulcedinis quoque ratione cyceon ebrietatem arcere potest, cum, ipso Aristotele auctore, vinum dulce quoties cum farina hordei bibitur, dulcius sentiat: at dulcedinem temulentiae aduersari mox dicam. Si quis largius biberit, timeatque ne caput vaporibus vini obruatur, is confestim cydonium malum tostum crudumve, aut electuarium de cydonijs confectum sumat, quo facto, vinum minus nocebit, neque caput grauitur feriet, haud enim vini vapores ad caput distribui sinet. Dionysias gemma ex aqua trita saporem vini facit, & ebrietati resistere putatur. Si quis vinum dulce inter potandum hauserit, sobrius persistit: si verò temulentus superbiberit, minus infestatur: naturali enim ratione dulcedo ebrietati repugnat, aded, vt medici eos qui vsque ad periculum vino distenduntur plurimo, cogant vomere, & post vomitum contra fumum vini qui remansit in venis, panem offerant melle illitum, itaque hominem ab ebrietatis malo defendant. Ac sanè propter hanc causam videntur poetæ Bacchum mellis repertorem fecisse: vnde Ouidius,

*Fast. 3.  
Hac omnia de floribus ex Plut. sympos. probl. decad. 3. probl. 1. transscripta sunt.*

*Liba deo sunt, succis quia dulcibus idem  
Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt.*

Eryngij radix præsumpta crapulam arcet. Florum odoris defluxus mirum quàm præsentem oppem adferat, arcemque capitis contra ebrietatis impressionem obmuniat. Nam si calidi sunt, molliiter relaxant poros & recludunt, vinoque perspirandi locum tribuunt: si verò moderatè frigidi, leui

leuicontactu repellunt atque inhibent exhalationes, quemadmodum facit ex violis acrosis contexta corolla: vterque enim flos astringit, & capitis grauedinem odoris vi defendit. Enimvero ligustri flos, crocus, & baccharis, placido somno potos consopient: habent namque blandum & mite odoris defluuium, quodque natas in ebriorum corporibus asperitates inæqualitatesque sensim diffundit & discutit, sic vt oborta iam tranquillitate hebescat & concoquatur crapula. Vnde Ouidius *Faß. 5.*

*Donec eras mistus nullis Acheloëracemis,*

*Gratia sumenda non erat vlla rose.*

*Bacchus amat flores: Baccho placuisse coronam,*

*Ex Ariadneofidere nosse potes.*

Iam etiam ligni guaiaci decoctum bibentes non sentire vini noxam: sedentes enim bibere, & vrinam emittere, quod citò ex ventriculo ad hepar, indeque ad renes feratur, itaque breui momento excolatur, Nicolaus Massa libro suo de morbo Gallico scripto testatur. Hederæ acini, qui croci succum habent, præsumpti potu, à crapula tutos præstant: atque Liber pater non ob repertum modò præsentissimum pariter & gratissimum pharmacum, vinum scilicet, creditus fuit medicus, verùm etiam quod honorem hederæ tribuerit, aduersus planè viribus vino repugnanti: docueritque bacchantes hederacea corona velari, velut noxæ minus è vino ita sensuros, extincto abolitoque ex hederæ frigiditate, ebrietatis feruore. Nam quod quidam hederam vino admistam inebriar

dicunt, veritati haud est consonum: siquidem noxam quam bibentibus inducit, non ebrietatem, sed turbationem emotionemque status animi, aut delirium quoddam dicere possis, cuiusmodi apollinaris herba inuehit, & non pauca eius generis alia, quæ mentem ad insaniam sollicitant. Vnde mulieres quæ Bacchicis furoribus correptæ erant, ad hederam statim ferebantur, & abreptam manibus diuellebant, dentibusque lacerabant: nimirum quod spiritum habeat, quo mentes in furorem conciter, & loco moueat. At ebrietatis amuletum, vini que hostem hederam esse facile assenties, si consideraueris vas factum ex ligno eius vinum non continere. Hirundinis rostri cinis cum myrrha tritus, & in vino quod biberetur inspersus, securus præstabit à temulentia: inuenit hoc Horus Assyriorum rex.

*Lib. 12. de  
agricul.*

Qui lactucam præsumperit ab ebrietate non tentabitur, autore Constantino Cæsare. Veteres quidem lactucam non initio cænæ, nec primis mensibus inferebant, sed postremo, quod Martialis indicat his versibus:

*Claudere quæ cænas lactuca solebat anorum,*

*Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?*

Quod ipsos non citra rationem fecisse puto: quum enim frigide humidæque sit naturæ, à cæna assumpta efficacius somnum conciliat, vini que feruorem reprimit, atque ebrietati obstitit inducta cerebro humiditate. Et Horatius clarè veteres lactuca post vini potum vesci solitos in sermonibus cecinit:

*Lib. 2. sa  
27ra 4.*

*lactuca innatat acris*

*post vinum stomacho.*

Li-



Lignstri florem Plutarchus putat corollis intorquendum, prout antea diximus. Medeæ gemma reddens saporem vini, immensi effectus contra ebrietatem est. Indorum rex è poculo confectio ex monocerotis cornu bibens & interrogatus cur id faceret, an ebrietatis causa: respondit, quòd malam ebrietatem tollat. Musicam introduci in epulis optimum esse Aristoxenus apud Plutarchum refert, tanquam potentem reuellendi ac mitigandi feruidam vini vim: adhiberi que eam ad conuiuia, quòd cum saepe merum plus æquo haustum, circumstans musica ordine & mensura rata atque mediocri reuocaret eos ad visum statum que contrarium, & adhiberet modum, & in tranquillitate atque constantia pacatum animum contineret. Vinum quod feruefacto aliquantum myrti semine (aliàs enim acorem contraheret) exprimitur, præsumptum crapulam arceat. Præstat idem semen eius. Decoctum quoque myrti ebrietatem tardat: vino autem myrtite nunquam inebriatur: & ipse myrti bacca præsumpta contra ebrietatem muniunt. Nonus myrti florem ieiunum in potu assumere iubet. Cur oleum ad arcendam temulentiam valeat, sorbitum que facultatem præstet potandi, Aristoteles quærit: conijcit autem id fieri quòd vrinam ciere possit. Præstantissimum ad præcauendam ebrietatem, præbibere olei ℥. ij. licet enim deinde citra ebrietatis periculum, vel integrum vini doliū ebibere, inquit Christophorus à Vega. Quidam olei communis, alij amygdalarum dul-

*Lib. de  
musicas*

*Probl.  
sect. 3. & lib.  
probl.*

cium, alij sesami sextantem, hoc est uncias duas, ieiuno hauriendas consulunt. Oleum ouorum potum ante cibum, ebrietatem arcet, vrcunque strenuè bibas: Gesnerus in altera parte Euonymi. Qui pulmonem ouis elixum ieiunus ederit, ebrietatem non sentiet. Plinius scribit pulmonem pecudum aslum præsumptum ebrietatem arcere. Idem præstant persicorum nuclei: & foliorum persici arboris expressus succus ieiuno assumptus cyathi mensura. Portulaca quoque marina, qua in acetarijs ac condimentis vtimur ad appetentiam acuendam, ebrietati aduersatur. Potus enim cibi que auiditatem incitat, irritat que, atque insita facultate atque viribus conficit: quo fit, vt nulli vinosi halitus, vapores que caput tentare possint, vt qui per aluum, ductus que vrinarios expurgentur. Punicorum malorum succus haustus etiam crapulam & ebrietatem arcet. Pyra ieiuno stomacho comesta maximè ebrietatem arcere, experimento nobilis cuiusdam matronæ Venetiæ constat. Ribes vulgo dicti fruticis syrupus ebrietati item resistit. Athenæus ex Posidonio refert Carmanos caput rosaceo, melinòve inungere ad vini vapores repellendos ne cerebrum offendant, id verò eos facere vbi prius amicitia poculum inter se alij alijs propinauerint. Roseas quidem coronas ebrietatem arcere omnibus notum est: at corpus inungere rosaceo & sale idem præstare, non item. De Rhodiæ olulis ebrietatem arcentibus lege Athenæum libro vndecimo. Rutam comestam eiùsve decoctum e potum ebrietatem prohibere quidam constanter asserunt:

asserunt: atque crapulam discutere constat. Suis aut apri pulmonem assum à ieiuno cibo præsumptum eo die ebrietatem arcere, Plinius autor est. Thuia in fructu nucleos esse hordei grano similes longiores duntaxat, exiliores, & duriores, gustu amaros, quibus præsumptis arceatur temulentia, ex quorundam placitis tradit Ruellius. Zingiber in puluerem tritum cum aqua in potu assumptum, ebrietati aduersari Nonus autor est. Hæc de medicinis amethystis dicta sunt. Non sunt autem omittenda ebrietatis præsentis, dolorisve capitis temulentiam secuti, remedia, quæ acrapala nominare placet: & eò diligentius certè dicenda, quia medicos quosdam qui de hisce scripsere, negligentius quædam tradidisse manifestum sit. Aiuunt acetum copiosè potum ad sobrietatem ducere: alij acetum aquæ mistum, quod oxycratū Græci, Latini poscam appellant, vini crapulam mitigare dicunt. Sunt qui caput sero ex adianto ad sedandum dolorem ex ebrietate cingunt: quique significare hieroglyphicè voluerūt hominē ebrium, ac sibi remedium comminiscens, v. pupam & adiantum pingebant. V. pupa siquidem simulacrum ex nimia vuarum comestione inebriari senserit, capillo Veneris decerpto, efficacissimè sibi medetur. Amygdalæ amaræ capitis dolori ab ebrietate, ex aceto & rosaceo & aquæ sextario illinuntur. Plutarchus post temulentiam & compotationem aquam potandam consulit. Et herclè aqua calida ebrietatem soluit vomitu, refrigeratione, humectatione, somno, purgatione per aluum & vri-

*Acrapala  
medica  
menta.*

*Lib. de  
mend. Ga  
lernæ.*

nas: non solum vino permista, sed etiam multo post  
 copiose ebibita. Vnde in conuiujs aquam vino  
 admiscendi mos fluxit. Cuius rei luculenter Dio-  
 dorus in quinto de antiquorum gestis libro cum  
 de Dionysio loquitur, rationem reddit. Cum pu-  
 rum, inquit, in cœnis vinum detur, aiunt, omnes  
 deum sospitem optare bibenti: cum verò post cœ-  
 nam aqua mistum sumitur, Iouem vocare seruato-  
 rem: nam puti vini potus, addit, ad insaniam redi-  
 git, aqua verò misti, voluptatē lætitiāque affert,  
 & prohibet insaniam. Acidulæ aquæ urinam potæ  
 promouent, & ebrietatem discutiunt. Brassicam se-  
 dare crapulam peruulgatum est: sed cum eius plu-  
 res sint differentiæ, illa ad discutiendam crapulā ac-  
 cōmodatior est, quæ plus ceteris rubescit, si ex cau-  
 liculis præmanis succus expressus deglutiatur, aut  
 eadem cocta inter primæ mensæ edulia manduce-  
 tur. Hac tamen marina, vulgo soldanella dicta, ef-  
 ficacior iudicatur. Atque qui raphani vulgo dicti,  
 succum præsumptum ebrietatem arcere, crapulæ-  
 que mederi dicunt, veteres brassicam raphanum  
 appellasse ignorare videntur. Præsentem quoque  
 ebrietatem extinguit centaurij tenuis decoctum  
 postea ingestum, autoribus Dioscoride & Aëtio.  
 Quidam scribit eius succum cum aceto permistū  
 acinunctum capitis dolori ex ebrietate facto con-  
 ferre. Cerasorum nuclei comesti plurimum ex ni-  
 mio vini potu dolentibus conducere putantur.  
 Ceruinum cornu idem præstare quod centaurij  
 minoris decoctum Aëtius tradit: Sextus cornu  
 ceruini cinerem drachmæ pondere cū vini cyatho,  
 & aquæ

*Autor  
 lib. de  
 Vir. cen-  
 taur.*

& aquæ cyathis duobus ad capitis dolorem bibendum dat: alij fronti ac temporibus ex aceto vel rofaceo, aut ex vino ad sedandum capitis dolorem illinunt. Ad discutiendam ebrietatem, cineris hircinorum combustarum sufficientem quantitatem dare quidam consulunt. Historiarum veterum narrationes & inquisitiones, ebrios reddere sobrios Constantinus Cæsar libro septimo de agricultura autor est, attestaturque experientia. Hippocrates omnis medicinæ parens libro quarto de rat. victus in morbis acutis breuiter totius crapulæ medelam indicat, in eiusque curatione ieiunio parcat. Scribit enim, ieiunium aduersus capitis dolorem crapulamque malum esse. Cibo namque humorum qui vapores in caput subleuant & ieiunio exasperantur, acrimonia retunditur. At vinum ieiunos bibere principali inuento inutilissimum est. Vigorem enim animi impedit, & ad articulorū morbos rectissima est via, vt scribit Galenus. Et malo exemplo nondum exhalatæ crapulæ redintegratio, & iucundum nefas, principum edictis cauetur. Tiberio enim Claudio institutum, vt ieiuni biberent, potusque vini antecederet cibos, externis & hoc artibus, ac medicorum placitis nouitate aliqua sese commendatium. In quo vt nec omnino iniquum fuit iudicium, sic nec semper impune, nec verò semper cedit. Sed ferè quos ratio non restituit, eos plerunque temeritas iuuat. Est vbi quoque non sine ratione vinum accommodari possit. In quibus enim frigida ventriculi natura, vini copiam malè coxit, & stomachi imbecillitas nauseas, fastidium, & hu-

*Aut. the-  
sauri pan-  
perum.*

*Aph. 32.*

*Aphorif.  
lib. 5,  
aph. 28.  
Plinius  
lib. 14,  
cap. 22.*

morum cruditatē inuexit, ea vt concoquentibus & calefacientibus, ita profectò moderato vini vsu iuuatur. Excitatus enim qui quodam modo sopitus erat ventriculi calor, cruditatis reliquias & grauitates facillè propellit. Vino nempe stomachus recreatur, appetentia ciborum inuitatur, tristitia & cura hebetatur, vrina & algor expellitur, somnus conciliatur, quod vnicum est ad cruditatis forum auxilium. Quod indies prospero successu experuntur, qui bibendi leges dant & accipiunt, & diligenter legum scita contra vinolentiam obseruāt. Homines sanè ad perdenda vina geniti, tanquam effundi illa non possint, nisi per humanum corpus. Quam in re sibi Salernitano carmine cauent:

*Si nocturna tibi noceat potatio vini,*

*Hoc matutina rebibas & erit medicina.*

Atque hoc ipsum est, quod vulgò dicitur, ex eodem scrinio petendum remedium. Lactucam à cœna summisque epulis sumptā, vini fumos halituosos caput aggrauantes retundere ac discutere antè dixi: idque Q. Serenus poëta & medicus præstantissimus non omisit, hunc ad modum de curanda ebrietate scribens,

*Quidam lactuce huic credunt prodesse sapes:*

*Curandi modus hic, & suavis, & utilis idem est.*

Hinc nimirum lactucam Rufus Ephesius ἀκραία μιν nuncupauit, quòd crapulam arceat, & omnem capitis noxam à vino contractam excutiat. Conuenit etiam lenticulam coctam comedere, præsertim his qui humidiores habent ventriculum. Aristænetus Nicensis apud Plutarchum asserit, medicos,

dicos, ijs qui plus satis biberunt, præscribere, vt dormituri panem mellis embammate imbutum deuorent. Metu etiam crapulam excuti constat ex Plutarcho, qui scribit per paucos Gallorum apud Ardeam à Camillo nocte adortos, metu excussa crapula, armis sumptis pugnasse. Aristænerus rursus ait permistum vino passum, sedare ebrietatem. Phucam antiquos omnes ferè ex vino conceptam crapulam sedare existimasse: hodieque bibulos quosdam ceruisia sibi mederi, cum potus ex frugibus parati historiam exponerem, admonui. Herbam quam polyneuron Græci, plantaginem minorem Latini appellant, ebrio datam copiosam in crapula, vinum discutere, mentemque restituere autor est Scribonius Largus. Polygonum sæpè in potu datum, doloribus capitis conuenit, qui ex vini larga potatione seu ebrietate ortum habent: idem quoque & capiti instar coronæ imponi potest, quemadmodum quæ ex rosas conficiuntur: Nonnus. Item mali punici grana super cibum comesta iuuant. Raphanum etiam dissipare ebrietatem contractam, si postea comedatur, Dioscorides in euphoristis autor est. Ad crapulæ grauedines, decoquuntur item folia rutæ poturis: & in cibo vel cruda vel cocta, conditæ prodest: Plinius. In dolore capitis ex ebrietate aut meri potu, vtendum omnibus illis quæ ad dolorem capitis ex ardore ortum, descripta sunt: quòd si dolor amplius inualescat, rutæ folia cum aceto & rosaceo ad strigmenticiani spissitudinem trita capiti illinenda: Apollonius apud Galenum lib. 2. de compos. medicamentorum

secundum locos. Græci vino madentes temulentosve sale & oleo perungebant, ceu singulare id esset aduersus ebrietatem remedium. In primis habenda est cura somni & quietis: homo enim ebriacus vt Plauti verbis vtar, somno sanari solet: vnde Cicero in Antonium dicit, edormi Crapulam, & exhala. Sed Mnesitheus Atheniensis apud Athenæum in epistola de cothonisino, non dormiendum priusquam quis euomuerit, consulit. Atque Ecclesiastes etiam vino obruto, vomitu succurrendum esse consulit: post quem quidam testes, partesque genitales, mantili aut sudario frigida madefacto inuolui iubent: Fœminis verò vbera mammasque in eundem modum foueri, nisi uterum gestent. Verbenacæ rectæ semen cum aqua potū præsentem ebrietatem extinguere autores sunt Dioscorides & Aërius.

Vettonica pota à cœna Plinio crapulam discutit: idem præstant violæ impositis coronis olfactuue: item flos tenerique cauliculi viticis cum rosaceo. His addam quosdam visceribus ex nimio vini sublimati potu accensis vtiliter lac caprinum potandum exhibere: alios verò muriam cucumerum conditorum propinare: nonnullos item pisa cruda deuoranda consulere. Atque hæc de crapulæ remedijs dicta sint. Sunt quidem & alia digna expositione, sed ab illis qui practicas vulgò nominatas ediderunt, satis copiosè passim explicata. Nunc medicamenta quædam à fœminis Romanis quibus non licebat vinum bibere, ne id olerent, excogitata dicemus. Myrtalem quandam lauri folia deuorasse

*In aulul.*

*Leuius  
Læmnius.*

*Vini potū  
occultæ ad  
ratio.*



uorasse ne temetum oleret, Martialis libro quinto  
epigrammatum ostendit his versibus:

*Potere mulio Myrtale solet vino.  
Sed fallat ut nos, folia deuorat lauri,  
Merumque cauta fronte non aqua miscet,  
Hanc tu rubentem prominentibus venis  
Quoties venire Paule videris contra,  
Dicas licebit, Myrtale bibit laurum.*

Fescenniam verò eiusdem rei causa pastillos quos-  
dam deuorasse, idem autor est libro primo vbi  
canit:

*Negrauis hesternofragros Fescennia vino,  
Pastillos Cosmi luxuriosa voras.  
Ista linunt dentes ientacula, sed nihil obstat  
Extremo rictus cum venit a barathro.  
Quid, quod olet grauius mixtum diapasmate virus,  
Atque duplex anima longius exit odor?  
Notas ergo nimis fraudes, deprensâque furta  
Iam tollas, & sis ebria simpliciter.*

Constantinus quoque Cæsar iridem Traglodyti-  
cen manducatam, vt quis à vini potu nō oleat, præ-  
stare, autor est. Sed & zedoaria post sumpta graue  
virus animæ, quod vinum excitauit, abigit. Tanta  
hominum vitia occultandi plerunque diligentia  
est. Restant ea quæ ebriosis vini tædium afferunt  
dicenda. Vinum in quo anguilla duæ putrefactæ  
siue suffocatae fuerint, ijs qui inde biberint, tædi-  
um vini affert. *Atq;*

*Clitorio quicumque suum de fonte leuarit,  
Vina fugit, gaudetque meris abstemius undis.*

Philarchus dicit eum etiam qui hoc fonte se la-

*Ouidius  
metamor.  
Sltimo.*

Lib. 3,  
cap. 152.

uerit abstemium fieri, & vini odorem ferre non posse. Vinum in quo anguilla suffocata sit, vt autor Euporiston scribit, secundum Plinium verò in quo anguilla duæ necatæ sint, potui exhibitum, vini odium parit. Mullus etiam vino necatus, ijs qui inde biberint, tædium vini affert. Oua nocturæ ea vi pollere memorant, vt si per triduum ebriosis dentur in vino, tædium eius adducant, & abstemios homines reddant: quod etiam apud Philostratum asertum comperij, qui abstemium scribit ita reddi puerū, vt donec vixerit vini odio teneatur, si priusquam vllum vini gustum nouerit, nocturna oua leuiter cocta, illi sorbillanda propinētur: vini enim odium inde suboriri, quia temperatior hic fiat naturalis calor. Ranam viridem ex ijs quæ in fontibus salientibus reperuntur, viam in vini mensura duarum librarum suffocatam, eam in vino vivo relinquere, vt qui vel haustum vnum inde biberit, per omnem deinceps vitam abstemius degat, certo quorundam experimento constat. Vinum in quo piscis rubellio putrefactus fuerit, ijs qui inde biberint, tædium vini affert. Ad idem efficiendum consulit Nicolaus Myrepsus testudinem viam iusto tempore in vino bono abluere, mactare, parum de sanguine eius cum vino miscere, clamque mensura dimidij calicis manè ieiuno diebus tribus bibendum dare: diuinam autem huic vim attribuit. Democritus humorem siue sanie[m] ex amputatis vitibus resudātem in scio potante vino permistum, vini desiderium tollere dixit. Vinū in quo vua marina putrefacta fuerit, ijs qui inde biberint, tædium  
vini

vini affert. Nicolaus Myreplus uã marinam ipsam  
 rufam & madefactam cum vino sufficienti clãm  
 ieiuno tribus diebus ex vino bibendum dat, vini  
 fastidiũ efficiendi causa. Hęc mihi ferè in mentem  
 veniebant, inquit, quę dicenda putarem de medica  
 mētis amethystis: crapulã discutientibus: vini potũ  
 occultantibus: eiusdemq; tædium afferentibus. Tu  
 aut Philomathe, si me audias, ebrietatis turpitudinẽ  
 regum polypoton Philippi, Alexandri, Dionysij,  
 Antiochi, M. Antonij, Tiberij exemplis ostendas,  
 teq; & artium liberalium magistrum esse cogi-  
 tes, & præceptorem viuendi esse putes. Mala enim  
 & impia quorundam consuetudo est, vitia atre-  
 nuandi, siue ex animo id fit, siue simulatè. Quę cũ  
 dixisset Antoninus, finem fecit. Philomathes au-  
 tem, quoniam aduersperalcit, inquit, dabis diem mi-  
 hi aliquem, vt contra ebrietatem dicam: est enim  
 mihi tecum pro sanitate & temperantia cõmune  
 certamen, meliusq; bonam valetudinem conti-  
 nentia, quàm medicamentis quamuis saluberri-  
 mis conferuari iudico. Tunc arridens Satyrus, in-  
 quit,

*Ebrieta-  
tis turpi-  
tudo.*

*Continen-  
tia laus.*

*Claudite iam riuos pueri: sat prata biberunt:  
 Ite domum satura, venis Hesperus, ite capella.  
 Hęc cũ essent dicta, discessimus.*

F I N I S.

## ANTONII SNE-

EBERGERI TIGVRINI, HEL-  
uetij, Medici nuptialium narratio-  
num prima.

## IOANNIS GREGORII

MACRI IN CLARISSIMI MEDICI AN-  
tonii Sneebergeri T. &c. Narrationem nu-  
ptialem primam Epigram-  
ma.

Ode tricolos hecstastrophos Spondaicis versibus  
hypercatalecticis constans.

**Q**uam bene fecundas donet  
*Alma Venus cum Iunone,*  
*Ac Caribus adoptatam prolem*  
*Cito generandam consortes*  
*Lectuli: dat hoc autor*  
*Ruè cognitum libro.*

*Hic tibi iustas atatis*

*Hebdomadas doctè assignat,*  
*Quibus ad amorem consurgat*  
*Melius honestum natura,*  
*Nec male expuat semen*  
*Humidum, aut nimis crassum.*

*Hic Medicina traduntur*

*Plurima secreta abstrusa,*  
*Velut in amoris pictura*  
*Tenuibus absconsa igniculis.*  
*Hoc amator uxoris*  
*Nuptias regat libro.*

IN

IN CLARISS. ET DO-  
CTISS. MEDICI ANTONII

Sneebergeri, &c. Narrationem nuptialem pri-  
mam N. N. Sponsis dicatam, carmen  
Hieronymi Mazzae Ve-  
neti.

**D***Vm narrat thalami dulces Antonius ignes,  
Et quae legitimus gaudia iungit Hymen:  
Dum sponsis superum sacros instillat amores,  
Et culto Aonium pandit ab ore melos:  
Nostraq; diuino stringens connubia nexu,  
Paribus attribuit tempora certa suis.  
Quaeq; latent iucunde aperit Cythereia dona,  
Doctaq; Cecropio verba liquore madent.  
Sensit ab Idalio Venus alma, & pronuba Iuno,  
Profiluit patria leta libensq; Samo:  
Et sponsis: Iuuenes nati felicibus astris,  
Quos decorant tanti scripta diserta viri.  
Scilicet haec viuunt longos monumeta per annos,  
Nec sinet extingui nescia fama mori.  
In quibus & vestrum nomen, festusq; Hymenaus,  
Effugiet seri fata timenda rogi.*

Q

**A**micissime lector memini me ante annos aliquot,  
 cum librum de bona militum valetudine conser-  
 uanda edidissem, in epistola ad Diuum nulloque tem-  
 pore satis laudandum Regem Sigismundum Augustū,  
 medicamentorum facile parabilem aduersus omnis  
 generis internos morbos locupletissimū & vtilissimum  
 thesaurum promississe: cui promissioni haectenus a me  
 partim propter occupationes medicas, frequentēsq; ad  
 externos ex Polonia euocationes, partim propter aduer-  
 sam mei filioliq; valetudinem hucusque haud satisfeci.  
 Sed ne quis existimaret me promissi mei oblitum esse,  
 superiori tempore medicamenta vinolenta, amethysta,  
 ac epala, &c. quod ea minimè simpliciter exponenda  
 iudicarem, dialogo descripta in publicum misi: Nunc  
 verò medicamenta euporista ad res veneras spectan-  
 tia, qua multò minus mihi honestū decorūmve si palā  
 & aperte ea explicarem fore censui, in decem narra-  
 tionibus, quarum primam in praesentia tecum commu-  
 nico, explicare studeo. Quod si fortasse quis ex numero  
 eorum qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt,  
 has narrationes nostras lasciuiores siue amatorias iu-  
 dicauerit, is sciat (ut cum Ausonio consule Romano  
 nuptialis centonis licentiam excusante, respondeam)  
 narrationem de nuptiis esse, & velit nolit aliter  
 hac sacra non constare. Vale, & stu-  
 dius nostris faue.

## ANTONII SNE-

EBERGERI TIGVRINI, HEL-  
uetij, Medici nuptialium narratio-  
num prima.

**D** Emaratus Corinthius hospes ami-  
cusque Philippi Macedonum re-  
gis, fertur, cum primùm Alexan-  
der Magnus Susis sub aureo cælo  
in regio solio confedisset, gaudio  
perfulsus illachrymasse, ac dixisse: Quàm ingenti  
gaudio magnaque voluptate priuati sunt Græci,  
qui mortem obierunt antè quàm Alexandrum in  
Darij solio sedentem conspexissent. Sanè nimis  
pueriliter insipiens senex fortunæ spectaculum  
admiratus est, non considerans virtutem haud for-  
tunam claros beatosque reges facere. Atque simi-  
liter hodie in pompis plerique, etiam ex numero  
studioforum sapientiæ, non ingenij & virtutis æ-  
terna, sed cæcæ fortunæ caduca munera, stolidi su-  
spicere & admirari consueuerunt. Quod quidem  
optime Thaumasiæ, nuper maximè in Philostorgi  
honestissimi ac ditissimi nostrorum ciuium mer-  
catotis filij nuptijs, pro tua prudentia animaduer-  
tere potuisti. Assidebant enim sapientiores à po-  
pulo iudicati, magnificentiam adium, bella tecto-  
riola, pauimenta marmore polito strata, columnas  
porticus marmoreas, superba Belgica aula colo-

Q 2

ribus figurisque diuersis picta, tapeta polymita, & Turcica purpurea ingeniosè contexta, scamna cedrina, menlas citrias, vasa aurea & argentea magnificè & pretiosè opere Germanico celata, lectos cedrinos, globis inauratis pedibusque argenteis exornatos, partim conchyliato peristromate, partim textili stragulo magnificis operibus picto stratos, vestitum denique & ornatum regalem admirantes. Verùm id, quod multo magis erat admirandum, in hoc etiam Demaratum imitati, prætermiserunt ac reliquerunt. Illum enim magis cū sub vno auro contexto tabernaculo coactis in eodẽ penates eandemque mensam, centum Persidibus sponis, totidemque Græcis, coronatus ipse Rex Alexander, primus hymenæum orsus, & tanquam philotesum cantum accinens, maximis potentissimisque populis in amicitiam coeuntibus, vnus ipse spõtus, omnium verò auspex & pater, hos cum illis legitimo coniugio vinciebat: tunc, inquam, magis Demaratum Augustis illis concordia que loci tate verè regijs nuptijs visis, lætari, ac reges sapientes diuersos dispareseque populos amore casto, matrimonijs legitimis, liberorumque pignoribus coniungere, exclamare decebat. Nostros verò, si dijs placet, sapientes, magnifici illius apparatus, dictorumque à prudentissimo ciue Philostorgo reconditam rationem omni diligentia inquirere & inuestigare conueniebat. Equidem primum cur vir sapientissimùs filio suo, tempore anni frigidissimo, mense autem Ianuario, non alio, nuptias fecerit quaerendum fuerat: consilio enim veteres imitandi,



randi, non casu id factum omnino putandum est. Nos quidem legimus mensem Ianuarium *ἡμηναιων*, hoc est nuptialem à Græcis dictum: dedicatum verò fuisse Iunoni, quæ quodà nuptijs præesse crederetur *ἡμηναια*, sicuti Lucina quòd in partus doloribus adesse opinaretur, cognominata est. Existimo autem hoc anni tempus nuptijs celebrandis aptius à Philostorgo iudicatum esse, quòd viri huius tempore in venerem salaciores, æstate autem pigerrimi sint. Nam vt Hesiodus cecinit,

*Carduus in pratis quum floret, & ore cicada  
Arboribus latitans dat acuta stridula cantum,  
Crebrò alas quatitans, operosa æstatis in hora,  
Tunc capre pingues, tunc & mollissima vina,  
Fœmina tunc coitus avidissima, languidus est vir.  
Nam capiti & genibus vires canis æstifer aufert,  
Corpus & exsuccum iacet æstu.*

Atque Homerus Æolum per quem annū ipsum veteres intelligebant, habere liberos duodecim ait, mares sex, fœminas totidem. Menses ij sunt, ait Phurnutus, quorum qui fœcundi fruges omnium vsui reponunt, fœminæ dicantur: qui verò steriles sunt, mares habeantur. Hisce igitur seminandum maximè videtur, vt illis nouo marito suauißima coniunx partum aureum progeneret. Sed qui huius tempore calorem innatum qui omnium naturalium operationum autor est, copiosorem nos habere, somnòsque ob noctium longitudinem productiores fieri: & ideo omnes actiones in corporibus nostris optimè perfici, corpora magis nutriti, carnem augeri, multum optimi sanguinis cu-

mulari, nos plus appetere, plurimum comedere, meracius bibere, & facilius concoquere, fatetur: is sciat etiam velim hanc *πλησιονήν* siue gastrimargiam comitari libidinem coitus: hæc enim illis tanquam pedissequa à natura datâ esse videtur. Quare etiam ventri conspiciuntur subiecta esse membra coitus, quæ post saturitatem primum *ἄρως τὰς ἰδίαις ἐνεργείαις ὑπάρισται*, ut ait sapiens Philo. Pabuli enim vbertas, genitura redundantiâ plantis etiam, nêdum animalibus affatim subministrat. Quamobrè Euripides apud Athenæum lib. 6. etiam *ἐν πλησιονῆ* *τοῦ Κῦ ἄρως, ἐν πεινῶντι δ' οὐδ'*: hoc est, vult crapulatū Cyprus haud famelicum, ait. Hincque nimis vulgo tritum proverbiū, quo sine Cerere & Baccho fringere Venerem dicimus, ortum esse constat. Haud parum verò, imò plurimum hæc omnia in amoris stimulis incitandis adiuuat altum quo hyeme fruimur ocium. Nulla enim aded ex re istuc fit, nisi ex nimio ocio: & ut Ovidius canit,

*Hæc ut ames faciunt: hæc vi fecere tuentur:*

*Hæc sunt incundi causa cibûsque mali.*

*Ocia si tollas, periere cupidinis arcus,*

*Contemptaq; iacent & sine luce faces.*

Hæc mihi Philostorgus nuptias filio suo hyeme apparans considerasse videtur: etsi aliquis magis Pythagoræ summæ excepto Platone Philosophi Aristotelis autoritate commotum fuisse, existimare possit: hic enim suo tempore plures hyemæ anni partium nuptijs faciendis accommodatissimâ rectè prudenterque iudicasse tradidit: alter verò venerca hyemæ, non æstate, in autumno ac vere

*Lib. de agricul-  
tura.*

*Politico-  
rum lib.  
7, cap. 16.*

*Lærtius  
lib. 8.*

venerarius exercenda sanxit. De ætate autem spon-  
 si sponsæque deinceps dicam. Sed primò ætates  
 non incommodum videtur generatim, ad certam  
 septenarij numeri rationem ac normam eas expen-  
 dentes, describere: deinde quæ aptiores nuptijs  
 sint exponere. Obseruamus ergo septenarium nu-  
 merum in corpore humano ætatum progressu nõ  
 minus dignitatem potestatemque suam, quàm  
 cùm fœtui in utero principium absolutionis perfe-  
 ctionisque tribuit, ostendere ac declarare. Hic e-  
 nim numerus absoluit perficitque omnia: vnde  
 ab ijs qui rem quamque proprio vocabulo nomi-  
 nare student, *τελεισφόρος* cognominatus est. Hanc au-  
 tem eius insitam omnia perficiendi & absoluendi  
 vim, ætates ab infantia senectutem vsque, quas se-  
 ptimanis annorum metimur, apertissimè ac effica-  
 cissimè demonstrant. Namq; primo septennio den-  
 tes proueniunt: secundo tempestiui ad genitale se-  
 men emittendũ reddimur: tertio barbam promit-  
 timus: quarto augmentum roboris consequimur:  
 quinto tẽpus nuptias postulat: sexto vis intelligẽdi  
 maturatur: septimo mens & ratio seipsis meliores  
 auctioresq; euadũt: octauo vtraq; plenè perficitur:  
 nono verò æquitas ac mansuetudo, affectibus ma-  
 iore ex parte perdomitis. Porro decimo finis vitæ  
 optimus, in regris etiam tum instrumẽtis sensuum.  
 Solet enim longa senectus vnumquemque sup-  
 plantare & auferre. Has ætates Solon Athenien-  
 sium legislator descripsit nouem Græcis elegiacis,  
 quos totidem Latinis doctissimus vir Sigismundus  
 Gelenius interpretatus est in hunc modum:

*Impubes pueri septem voluentibus annis,  
 Claudunt enatis dentibus eloquium.  
 Post alios totidem, diuorum numine dextro,  
 Occultum pubis nascitur indicium.  
 Annis ter septem prima lanugine malas  
 Vestiet, et atis robore conspicuus.  
 Quartusis augebit iam septenarius, isq;  
 Optima virtutis proferet indicia.  
 Adde alios totidem, festinans ocius atas,  
 Coniugio monuit quærere progeniem.  
 Sexta atas animo si quid deest addet, eaq;  
 Disces quid deceat, quid quoque dedecet.  
 At que succedunt per proxima ter duo lustra,  
 Ornabunt linguam dulcibus eloquiis.  
 Nona etas languet, tum frigida membra retardant  
 Viriutem non vnquam interitura animi.  
 At quisquis decimam poterit contingere metam,  
 Iam tempestiuo funere conciderit.*

Ita quidem Solon modò dictis decem annorum  
 septimanis humanam vitam dinumerat. At Hippo-  
 crates medicinæ patens, in hominis natura, inquit,  
 septem sunt tempora, quas ætates vocant, infans,  
 puer, adolecens, & reliquæ. Infans est donec in-  
 tra septennium dentes amittant. Puer vsque geni-  
 turæ excretionem, ad geminatum septennium. Ad-  
 olecens vsque barbæ hirsutiem, ad annum ter se-  
 ptimum. Iuuenis vsque dum crescit totum corpus,  
 ad quater septimum. Vir vsque vndequinquage-  
 simum, ad septies septimum. Senior vsque sextum  
 supra quinquagesimum, ad octies septimū. Quic-  
 quid verò deinceps sequitur, ad senium pertinet.

Hæc

Hæc autem Hippocratis nostri verba ex Philone  
 Iudæo, vt quoque lectorem de hoc admoneam, *Lib. de o-*  
 adduxi: in editis namque tam Græcè quàm Latinè *pificio*  
 Hippocratis libris nusquam, quod sciam, legun- *Des.*  
 tur: conijcio autem hæc ab eo cùm septenarij nu-  
 meri in natura necessitatem declararet, quod se sub  
 finem libri *περὶ ἀρχῶν* alijs in locis facturū pollici- *Hanc par-*  
 tus est, scripta fuisse. Vult aut̄ etiam Galenus lib. 3, *tē Zwin-*  
 aphorif. comment. 30. & lib. 5, comment. 7. ætates *gerus de*  
 per septimanas distingui: atque manifestissimè *atate in-*  
 lib. 2, de sanitate tuenda cap. 2. in præceptis de sa- *scripsit.*  
 nitate conseruanda exponendis, ætatum per septe-  
 narium distributionem sequutus esse, apparet. Sed,  
 vt ad propositum reuertar, nec prima, nec extrema  
 ætas nuptijs apta fuerit. Extremam quidem æta-  
 tem ad coniugij amplexus ineptam esse Herus &  
 Leandri fabula docet. Hanc enim Græci commen-  
 ti sunt, vt extincto lucernæ lumine, calore quippe  
 naturali deficiente, iuuenibus quoque concupi-  
 scentia ardorem extingui significarent, atque ita  
 tam marem quàm fœminā gelida senectutis pro-  
 cella exagitados in aquas immergi, ac denique suf-  
 focari. Quare astronomi hanc ætatem Saturno qui  
 nimio frigore corporis & animæ motus, post quā  
 natura amissō vigore deficit, & arescit corpus, in  
 audacia, voluptate ciborum, & libidine impedit,  
 dedicarunt. Prima verò ætas non iudicatur nuptijs  
 apta, quòd cùm semen benignum sit & vtile ali-  
 menti recrementum, nihil autem pueris ex aliimen-  
 to reliqui fiat, quòd totum corpori partim alendo,  
 partim augendo impèdatur, aut si quid super sit, fa-

*Ptolem.*  
*libr. 4.*  
*quadripo.*

cilè propter corporis molliem raritatemque digeratur in ambientem atque diffletur, pueri ob id nihil feminis sepositum habeant, similiter & nulla virginibus menstrua aceruentur. Verùm ut hæc ratio exquisita & vera est, sic omitti non debet causa quam reddit Hippocrates cur pueri ad venerem minimè apti sint. Sunt, inquit, venæ pueris exiles, ætatis ratione, & plenæ, hoc est humoribus pituitosis refertæ, quos propter voracitatem facilè congerunt. Repletio autem talis prohibet ne semen procedere possit, viamque ipsi intercludit, nec patitur promptè pruriginem excitari. Quippe pituitosi illi humores frigidi sunt & crassi, aduersi prurigini quæ à calore acrimoniaque in veneri fieri solet. Hanc verò eandem causam statuit Hippocrates quare virgines menstruis careant. Venulas enim habent tenuissimas, scatentque pluitibus crassis viscidisque recrementis, minusque multo sanguinis habent quam adultæ. Tertio igitur primùm septennio incipit motus cieri feminalium meatuum, & eorum impletio, & appetitio ad venerem, tumque maximi sunt stimuli & ardores libidinis, adolescentesque maximè pruritu veneris incitantur. Quamobrem astronomi hominem sextodecimo ætatis anno quo ex ephelis, ut Terentianum illud obiter interpretemur, excedit, in Veneris ditionem deuenire asserunt, tertiamque ætatem Venerem regere tradunt. Atque hic est ille ætatis flos, de quo apud Terentium: Anni? sexdecim, ætatis flos ipse. semen autem genitale etiam tum infocandum esse dicit Aristoteles. Quod si prolificum sit,

*Lib. de generatione*

*nitura.*

*Ptolemaeus Sibi supra.*

*Polst. 7. cap. 16.*

lit,

fit, vel exigua, vel imperfecta generari autumat. Et propterea ne hac quidem etate vxorem ducendam Platonem sequutus existimat. Præstantiores autem philosophorum ijdem vno animo virgines tertio septennio, quod & adultiores habitioresque tunc sint, & menses venis ad vterum peruenientibus, rectè procedant, nubere iubent: nec cuiquam iuniorem seniorè mve ducere, non tam ad fecunditatem, quàm suauitatem morum respicientes suadent. Adolescentula enim castos mores imbibet, nec libidiniosior fiet, facileque quod quis frustra ab anu expectet, ad mores mariti assuescet. Hinc illud Hesiodium,

*Virginem, vt instruas laudatis moribus, opta.*

Atque ijdem philosophi vno consensu viro, non intemptiuus & præmaturus coitus corpus augeri prohibeat, vtque cum vxore generare desinat, quinto septenario vxorem ducere consulunt. Mirandum autem est quomodo se omnes in dictis annorum septenarijs continuierint, cum diuersos nuptijs aptos ætatis annos præscripserint. Hesiodus enim viro anno ætatis trigesimo vxorem ducendam, puellæ verò decimo quinto nubendum hinc consuluit carminibus,

*Iunge tibi vxorem dum firmus adhuc vigor adsit,  
Annos cum numeras ter denos, plûsve minûsve,  
Aptum est coniugium: decimo scè femina quarto  
Anno pubescit, nubat mox deinde sequenti.*

Sed diuinus Plato à sententia eius in alteram par-

*De leg.  
sexto.*

tem recedens, nuptiarum tempus, inquit, sit puella à sextodecimo in vigesimum: viro à trigesimo ad trigesimum quintum. Aristoteles longius à principis philosophorum & præceptoris sui cōsilio discedens, puellas circa ætatem decem & octo annorum nuptui tradendas: viros autem circiter annorum sex & triginta vxores ducere debere iudicauit. At Philostorgus noster intelligens tantorum philosophorum diuersas de aptiori nuptijs ætate opiniones, medius inter illos pro sua prudentia esse volens, filio suo trigessimum tertium annum ætatis agenti, virginem nouem & decem annorum despondit: est quæ in hoc prudentissimè Socratem quem philosophiæ parentē dicunt imitatus: hunc enim, alijs omnia mobilia, alijs verò firma stabiliaque esse astruentibus, medium quiddam tenuisse trahunt. Quod consilium sequutus esse videtur etiam opticus quidam, qui cum alij philosophorum terram omnino quiescere, alij verò moueri censuerint, ipse terrā quidē haud motu diurno vel annuo, sed valde lento, quiq; vix pluribus annis percipiatur, à loco in locū progredi asseruit: perinde ac superiori tempore quidā magni nominis medicus cum locum quarti & quinti climatum medium, hoc est vicinum amborum, temperatissimum esse dixit, Sed hæc satis superque de ætate nuptijs apta, dicta sint: nunc reliqua persequamur, Sapientissimus igitur quisque æqualem vxorem ducendam consulit, estque vetus laudatumque prouerbum  $\pi\omega\ \eta\gamma\alpha\tau\alpha\ \sigma\alpha\upsilon\delta\omicron\nu\ \epsilon\lambda\alpha$ . Dicunt autem hanc coniugum similitudinem æqualitatēve in bonis animi, corporis,

*Plato in  
Theateto.*

*Pana.*

*Montan<sup>o</sup>  
in Auic.  
de cōplex.*



poris, & fortunæ consistere. Nam qui, ut à fortunæ bonis incipiamus, aut nobiliores, aut ditiores se-  
 ipsis ducunt, *ἐκ ἐπίσανται γαμῆν*, ut ait Euripides. Pau-  
 per enim diuitem ducens, inquit Menander, *αὐτὸν*  
*δίδωσιν, ἐκ ἐκείνου λαμβάνει*, hoc est, seipsum tradit, nō  
 ipsam ducit. Intolerabilius nihil est, quàm fœmina  
 diues. Vnde Martialis bellè & festiuè, ut solet:

Lib. 8.

*Uxorem quare locupletem ducere nolim,*

*Queritis? uxori nubere nolo mea.*

Haud minus verò genere superiorem fugiendam

Deianeira docet Herculi in hæc verba scribens:

Ouid. in  
epist.

*Quàm male inæquales veniunt ad aratra iuuenti,*

*Tam premitur magno coniuge nupta minor.*

*Non honor est, sed onus species læsuras ferentes:*

*Si qua vobis apè nubere, nube pari.*

Et Iuuenalis:

Satyra 6.

*Malo Venusinam, quàm te Cornelia mater*

*Gracchorum, sicum magnis virtutibus adfers*

*Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.*

Atque fortasse nobis facillè omnes concedent  
 coniugii fœlicitatem consistere in æqualitate for-  
 tunæ: animorum non item. Plato enim cùm quin-  
 to de Repub. optimos viros mulieribus optimis,  
 deterrimos autem deterrimis cōiungendos dixis-  
 set: contrà sexto de legibus ferociores vehemen-  
 tioresque natura, mansuetas facilesque ducere,  
 contraria verò natura præditos, contrarias etiam  
 sibi coniungere consuluit. Sed quod quæso matri-  
 monium inter discordes fortunatum fuerit? aut  
 quæ in eo societas? Quomodo autem concordēs  
 inter se fuerint homines improbi? vel qua ratione

bonus cum malo consentiet? Nihilo certè magis, quàm ligno recto cum incuruo, aut duobus curuis inter se conueniet. Nam curuum & simili suo adaptari non potest, & contrario, nempe recto, longè minus. Itaque malus etiam malo, nec amicus esse, neque consentire potest, & multò minus homini bono. In illos quidem Martialis festiuè dixit:

*lib. 8.*

*Cum suis similes, parèsq̃ue vita,  
Uxor pessima, pessimus maritus,  
Miror, non bene conuenire uobis.*

At Socratem virum optimum cum Xanthippa vxore iracunda, morosa, ac difficili habitantem, quis nisi reuerentius & inconsideratus se imitare posse sperabit? sapienter meo iudicio Hipponectis dixit, optimas viro prudenti nuptias fore si mulierem bonis moribus præditam in domum duxerit. Hanc enim dotem solam, domum conseruare. Quare etiam sapientes Indiè toto mundo celeberrimi ac clarissimi, ex morum suauitate ac naturæ similitudine maximum fructum iucunditatemq̃ue vitæ coniugibus esse (hæc enim duo ad coniungendas amicitias, easdemq̃ue corroborandas ac confirmandas plurimam vim habent) considerantes, puellas despondendas, sicuti Pythagoras adolescentes ad discendum adductos *quosiorum uisum*, id est mores naturasq̃ue earum artificiosa quadam coniectura ex oris, & vultus, totiusq̃ue corporis habitu sciscitari & iudicare solebāt. Imago enim animi vultus est, indices oculi, quotq̃ animi motus sunt, tot significationes potest vultus efficere. Non solum verò ex corpore, oculis, vultu, fronte, et si Indi  
se hac

se hac arte vsos nunquam falsos esse glorientur: verum etiam ex linearum in manibus lineamentis, astronomicis obseruationibus, vitæ cōmunis consideratione, & denique educatione & disciplina, puellarum naturam & mores pernoscere studebimus. Sed hætenus me pluribus verbis de coniugis futuræ moribus non inutiliter dixisse existimo. Si namque moribus mansuetam, & in cæteris rebus non molestatam duxeris, fœlices experieris nuptias, vt Epicarmus ait. Quoniam autem, Menandro id dicente, duæ res vxorem ducturo maximè cōsiderandæ sint, facies blanda, & boni mores: de his verò iam satis superque dixerim: restat vt de altera, forma scilicet, quæ iure inter corporis bona secundum (primū namq; sanitas occupauit) locū tenere censetur, iam dicam. Formæ igitur egregia species mulieres insolentes ac arrogantes reddit.

*Fastus inest pulchris, sequitur superbia formam,*  
Inquit Ouidius. De forma ludebant olim dilectissimi veteres. Pulchram si duxeris, habebis communem; si deformem, pœnam: & dissoluebant, si deformem, habebis propriam: si formosam, delectabere. Tum illud: Deformem ferre graue, formosam seruare difficile. Ergo desiniebant, sumendam esse mediocri quadam ac stata forma, quæ à nimix pulchritudinis periculo, & à summo deformitatis odio vacet, quam formam ea de causa vxoriam nominabant. Quoniam verò vxores liberos procreandi causa ducimus, hocq; vt Musonius dicebat, *ἡ καρδιά τοῦ γαμου*, id est, cardo siue coronis nuptiarum, omnis in hoc habenda ratio & diligentia

*i. P. Seneca  
viii.*

*Aulus  
Gellius  
lib. 5, cap.  
11.*

*In Thea-  
teto.*

*Lib. 7,  
cap. 13.*

*Lib. aph.  
5, cōmē.  
59, et 62.*

erit, vt viros & mulieres natura inter se ad genera-  
dum conuenientes coniungamus. Quæ ars si Pla-  
toni philosophorum principi fidem habemus, ma-  
xima est. Quòdenim quædã priuatim corporum  
viri & fœminæ dissociatio ac dissimilitudo, inter se  
fit sterilis: si verò cum alio alteruter iungatur, gi-  
gnat, Augusti & Liuij exemplum profert Plinius.  
Est autē Plato in Theateto autor hoc præcipuum  
esse munus obstetricum, apta ad liberorum pro-  
creationem corpora conciliare inter se & copula-  
re, simulque posse internoscere qui sint infæcun-  
diviri, & quæ mulieres steriles: atque ipsas ἐπι τέρ-  
τω μείζον φρονεῖν, ἢ ἐπὶ τῆς ὀμφαλοποιίας. Eiusdem namque  
artis est curare & colligere terræ fructus, & digno-  
scere, quod in solum quam plantam, quòd velle tē  
iacere deceat. Atque hac doctarum obstetricum,  
quæ ἀφομνήστρια εἰσι δεινόταται Socrate apud Platonem  
id affirmante, arte Galenus scribit ciuitates sapius  
studiosissimè esse vsas, cùm sacerdotalis quædam  
aut regalis propagatio & soboles superesset, vt ab  
eis seu viris seu mulieribus susceptos liberos habe-  
rent, ad quos solos eius progeniei spes erat reda-  
cta: deinde vbi mulieres non conciperent, vtrius  
id causa accideret quæ fuisse, vt factò diuortio ex  
alijs susciperentur liberi. Sed hæc hætenus de ijs  
rebus quibus coniugum æqualitas consistit, rectè  
dicta esse existimo. Nunc nostris sapientibus, ne  
longior sim, num Philostorgus optimi Reip. no-  
stræ senatoris Philareti filiam suo filio deipondēs,  
tam optabilem ac iucundam æqualitatem, ac alia,  
prudencia sua assequutus sit, considerandum relin-  
quor:

quo: mihi quidē omnino iuuenis virginem genere honesto, dote mediocri, forma liberali & ingenua, imprimisq; morū suauitate cū quadā grauitate nobilissimā in matrimonio habēs, foelicissimus esse videtur, & etiam in posterū semper à me beatissimus esse feretur & prædicabitur. Atq; tempus est iā de apparatu epularum & conclanum pauca dicere. Videbantur igitur pauimenta aspersis varijs herbis & floribus, è quibus suaues iucundique odores haud minus ac è moscho, ambaro, zibetho, balsami succo siue oleo, afflabant, picta: parietes pictura textili & in tabulis ornati: collocataque erant propalam in optimo lumine tabulæ melius pictæ. Erant autem in ijs amorum & dolorum Bersabeæ & Davidis: innocentia Susannæ senumque supplicij: raptus Helenæ, Troiæque excidij: pudicitia Lucretia, Tarquinorumque è Romana vrbe expulsio: plurimūque eiusdē generis historiarum, quas omnes nominatim persequi longum esset, imagines. Quæ cū animum ab ipsa pictura imaginibusque ad rem veritatemque quis traduxisset, mirabiles amores honesti coniugij excitabant. Sed quoniam transcurrentes gabatas, volantesque lanæ, ipsamque cœnam nuptiali more ambulātem, te iam auidum ad audiendum quibus epulis mensæ extructæ fuerint, reddidisse animaduertam, non grauabor, eas etiam breuiter meo more recensere. Appositus itaque fuit panis ex farina tritici purissima, modico sale asperso, ac fermento admisto probe subactus, molliterque coctus. Ex quadrupedum carnibus hædina, vitulina, castrati iuuenis

R

moderatè pinguis: ex auium genere capi, gallinæ iuuençulæ pingues, columbarum pulli, perdicæ, anates, passeræ, sturni, pauones, gallopau, phasiani, turdi, auiculæ montanæ varij generis: ex aquatilibus pisces assati & elixi diuersis aromatis conditi, astaci fluuiales, conchæ, ostrea: ex partibus animalium cerebella gallinarum, columborum, passerum, anatis, arietum: item testiculi gallorū & milui: iecuscula quoque anseris & gallinæ: oua etiam passerum, gallinarum, perdicum mollia sorbilia: piscium item oua fricta aromatū puluere aspersa. Ex leguminibus & cerealibus cicerum, fabarū, oryze pultes. Ex herbis menta, satureia, eruca, caules, ziparagorum turiones, vrticæ folia, carduorum capita. Ex radicibus rapæ, pastinacæ, dauci, raphani, bulbi, cepæ, porri. Ex fructibus amygdalæ dulces, vux passæ, penfiles & recentes, ficus item recentes exactè maturæ, nuclej pinei, castanæ, nucs auellanæ & iuglandes, mala insana. Erant autem plerique hi cibi puluere cinamomi, zingiberis, piperis, galangæ, caryophyllorum, saccharo conditi. Bellaria secunda mensa apposita erant, citrij cortex, eringij, personatæ radices, zingiber, nux moschata, semina anisi, fœniculi, coriandri, omnia saccharo condita. Potus erat vinum generosum, merum. Monachis ieiunium castitatis custodiendæ causa se obseruare profitentibus, palumbæ, lactuca, portulaca, diuersas malorum Punicorum species pro cibis, caphura pro odoraumento: viticis folia vt eis cubitus sternerent, missa sunt. Pauperibus verò hospites quæcunq; volebant

lebant ex appositis cibis dederunt. Hæcque summam de conuiuio sponsaliorum splendide & opiparè parato dixisse sufficiat : ad nobilissimi namque medici Polyphili epistolam præceptis artis medicinæ, & spe & amore posteritatis plenissimam nostra festinat narratio. Is igitur Eupatori patris Philostorgi amantissimo filio, literas biduo antè quàm nuptiæ agerentur, scripsit, quæ filia Philareti ad genialem lecturum molliter stratum adducta, sponso cum hospitibus ad nuptias inuitatis astante, lectæ sunt. Harum hic sensus erat. Quoniam optime Eupator, coniugij societas à natura maioribusque nostris ad conseruationem ac propagationem generis humani instituta est, & ideo eius gratia nobis esse data facultas nutriens ipsi Aristoteli videatur: res autè venerea etiam suam vtilitatem ad sanitatem corporis conseruandâ afferat: paucis te Philostorgi viri posteritatis cupidissimi filium, de ijs quæ concumbere salutariter, prolisque suscipiendæ gratia desiderantem obseruare oportet, hisce meis literis admonendum putauit. Primum igitur, cum ætas amborum, tempusque anni præsens Veneri apta sint, summopere caueat velim ne nimis frequens concubitus sit. Nam, vt Aristoteles ait, concumbere non oportet, ni res turgente corpore vrgeat. Frequens enim, corpus exoluit, vires debilitat, & fecunditati officit. Concubitus rarus, inquit Celsus, corpus excitat, frequens soluit. Nam moderatus excrementum vltimi alimenti excernit, & alios superfluos humores motu corporis consumit, totû calefacit,

*Lib. 2. de  
anima,  
cap. 4.*

*sect. 4.  
probl. 9.*

*Lib. 1. c. 1.*

corpus lenius reddit, & meliorem illi habitū conciliat, tandemq̄: ad functiones alacritatem, promptitudinem, firmitatemq̄: quandam affert. Qui si nimis rarus sit, in corpore redundans succus colligitur, semen in vasis corrumpitur. Hinc torpor, frætor, & perturbatio mentis, plurimaque grauissima symptomata. Immoderatus verò habitū corporis soluit, senectutem accelerat, canos maturat, sensuum hebetudinem, mentis torporem, malum corporis habitum: succorum cruditatem facit: ac quoniam excretio ipsa seminis veluti spasmus quidam est, insigniter cerebri & neruofarum partium omnium vires elidit, & podagram accersit, sicut epigramma dicit:

*Lib. 2. epi  
græ. Græc.* Soluentis Bacchi, Veneris soluentis & artus,  
Hos iisdem soluens nata podagra fuit.

Atque frequens Venus virium corporis omnium, functionumque ab his manantium infirmitatem imbecillitatemque parit: vniuersum corpus frigidum, infirmum, ac languidum efficit. Hinc illud Pythagoræ dicentis cum fœmina concumbendum cum quis velit seipso fieri debilior. Nam, vt docta Hippocratis sententia est, in genitura id quod robustissimū (*ἰσχυρότατον*) est in corpore, secernitur: cuius rei argumentum id est vel maximum, quòd à Venere vsq̄, tantula re emissa, imbecilles reddimur.

*Lib. 28,  
cap. 6.* Qua de causâ Democritus, teste Plinio, Venerem damnauit, quòd homo alius ex homine exiliret. Est hercule frequetia eius maxima sterilitatis causa, dicente vtique Auicenna, semen frequenter concumbentis inutile, & infœcundum esse, æquè ac infantis

*Pag. editionis Ba.  
fl. 690.*



infantis, decrepiti, aut valetudinarij: quòd nimio congressu *γυναικός* ille spiritus in semine contentus, prorsum euolet, vnde semē omnino frigidius reddi oportet: quod & ipsum sufficienter calidum, album, crassum, spirituque & vitali calore plenum esse oportet, si Aristoteli & Galeno fides habenda. Cùm autem immodicum cuique suum sit, & frequens concubitus, vt Celsus ait, non numero, sed natura, ratione ætatis & corporis sit: scire licet, cū non inutilem insalubremve esse, quem corporis neque languor, neque dolor sequitur. Tempus vero ad vtendum Venere opportunū id, teste Galeno, fuerit, cū in excessum omnium mediocritate corpus fuerit constitutum: cū scilicet neque supra modum plenum, neque vacuum extiterit, aut in calore, aut frigore, aut siccitate, aut humiditate excesserit corp<sup>o</sup>: quòd si aberrare cōtigerit, paruus sit error: melius aut calefacto magis quàm refrigerato, & pleno quàm vacuo, & humecto potius quàm exiccato corpore, Venere vti: minus enim sic noxæ contrahitur. Idem concubitus interdū perinde ac ætate noxius: noctu sicuti in hyeme tutior, ita tamen, si neque illum cibus, neque hunc cum vigilia labor statim sequitur. Atque Hippocrates, & Galenus illum sequutus, à somno Veneri indulgendum consuluerunt, quod verborum illorum ordo, autore Galeno cap. 2, lib. 2. de sanitate tuenda euidētissimè innuit, cū dicitur, labor, cibus, potio, somnus, venus, omnia mediocria. Post somnum enim Hippocrates veneri locum esse voluit, quòd à somno scilicet vegetior reddita corporis rectorix

*Lib. I,  
cap. 1.*

*Artis medicinalis  
cap. 86.*

facultas, Veneri obeundæ accommodatior fiat, minusque inde noxæ corpus sentiat: à cibo utique, potu, ac somno fotū ac sustentatum. Proderit igitur ferè sub auroram concumbere, si demum quod reliquum est antelucani temporis, somno iterum & quieti dederimus. Sic enim nec cruditas, quæ concubitum duabus tribusve à cibo horis peractum consequi solet, noxam: nec lassitudo quæ ex Venere timetur, languorè afferet. Nec prius tamen concumbendum quàm alio vesicæque exoneratis: sed maximè vesica. Nā ea repleta, quod tradit Aristoteles, parū probè concubitus procedit. Sed in primis ad generandam prolem observandum est, ut desinentibus mensibus, atque cessantibus, non incipientibus, etiānumve fluentibus Veneri opera detur. Id enim perinde foret, ac si ebrius aut insanus agricola in paludes torrentesve, non in arua hordeum triticum ve sereret. Nam semina siccatos fundos postulant, si colonus sibi velit ubertatem fructuum promittere. Natura quidem matricem repurgat singulis mensibus, velut aruum quoddam mirificum, quas tempestates observare oportet more boni agricolæ, ut in alluione sementem facere caueat. Alioqui semen præ nimia humiditate diffluet, nec modò languescent, sed etiam in totum evanescent spiritus οἱ εἰσιν ἐν τῇ μήτρᾳ τῶν τῆς φύσεως ἐργαστηρίῳ ζωοπλαστοῦντες, καὶ τῶν μερῶν ἕκαστα σώματα εἰς τε καὶ ψυχῆς τελεσιουργοῦντες, hoc est, qui in matrice naturæ officina maximo artificio animal fabricant, omnibusque corporis & animi partibus absoluunt. Quod si fortè semen retinebitur, mulierque menstruis

Sec. 4,  
probl. 20.

struis laborans concipiet, foetus inualidus, impurus, morbosus, minimè vitalis, & sordidus, tetraq; luc madens nascetur. Fieri namque minimè potest, vt qui sanguine vitiato & excrementitio, atq; polluto genitus est, qualis menstruus qui fluit esse solet, non & ipse vitiosus, grauis, foetidus, & vlceribus plenus in lucem prodeat. Vnde saepe in genitis psoxa, lepra, elephantiasis, morbi Gallici symptomata, impetigines, alphi, cutis & facièi decolorationes, & id genus vitia apparere solent. Cessantibus igitur mensuris tutò semen vim gignendi procreandi que habens vtero committitur: tunc enim matricis os maximè hiat, venæ que expurgatae genituram auidissimè attrahunt, facillime que semen incidens vterus concipit ac comprehendit, sicque foetus corpore perfecti, absoluti, saluberrimique progignuntur. Atque hæc est tuta ac salubris ad sanitatè propriam conseruandam, & ad prolem generandam aptissima concumbendi ratio, quam si charissime mi Eupator obseruaueris, minimè dubito, quin tu qui sanus es, & optimè vales, parem que coniugem nactus es, fecundam Venerem experiaris, sicque maximum patris tui Philostorgi desiderium videndi nepotes expleas: quod breui fieri cum Philostorgo magnopere expeto, & vt vobis hoc matrimonium foelicissimum sit, nobis autem amicis vestris solatium præbeat, D. Opt. Max. omnium bonorum autorem precor. Hæc cum lecta essent, omnes qui ad cenam sponsaliorum vocati fuerant, acclamarunt: cumque nouus maritus minimo proximum digitum sponsæ

*De menstruo sanguine plura in libro nostro de cane rabido leges.*

250 NUP TIALIS NARRATIO I.  
 annulo pronubo ornasset, ipsa autē vultum flam-  
 meo velata sponso assedisset, ecce repente è vesti-  
 gio qui eam curru aduectam deduxerant, limen-  
 que, in quo ignis & aqua apposita fuerant, transpor-  
 tarant, faces nuptiales, quod bonum, faustum, fœ-  
 lix, fortunatumque sit, diripuerunt, ipsosque con-  
 iuges in conclau coniuualis concordia inclusos,  
 malum cydonium vnà degustare iussos, solos reli-  
 querunt. Quo facto nos hospites dijs nuptiarum  
 præsidibus, Ioui, Iunoni, Veneri, Suadelæ, & in pri-  
 mis Dianæ, quam etiã in partu & doloribus  
 mulieres inuocant, libauimus, & ἄπορον  
 λείους ἐὺχαίς ὡς ἔδισσε  
 mus.

Græca ita Latinè interpretaberis.

Pag. 232, vers. 3. *ingurgitationem, expletionem, saturitatem.* Ibid. vers. 7. *ad proprias insurgunt a- Etiones.* P. 233, v. 13. *ad maturitatem & finem perducens.* P. 238, vers. penult. *equalem tibi uxorem ducas.* P. 239, v. 3. *nesciunt uxores ducere.* P. 242, v. 12. *de hac arte magis gloriari, quam umbilici præcisione.* Ibid. v. 17. *præstantissima pronuba.* P. 247, v. 2. *gignens, fœcundus, vim gignendi procreandiq, habens, prolificus vulgo.* P. 250, v. 12. *precibus inuitantibus nuptias, siue ante nuptias fieri solitis.*

F I N I S.

251

# IOANNIS FER-

NELII AMBIANI CONSI-  
lium pro epileptico scri-  
ptum.

## MEDICINÆ STUDIO SIS

ANTONIUS SNEEBERGERVS, TICV-  
rinus, Heluetius, Medicus,  
S. D. P.

**H***X ipsiſ quidam elati rediere ſepul-  
chris, ait Manilius poeta aſtrono-  
mus. Et certa multorum experien-  
tiæ fide, & Celsi Plinijq; autoritate  
conſtat, quosdam deſertos à medi-  
cis conualuiſſe, quosdam etiam in ipſiſ funeribus  
renixiſſe. Quin etiam vir iure magni nominis  
Democritus, Celſo cap. de indiçijs mortis autore,  
ne finitæ quidem vitæ ſatis certas eſſe notas pro-  
poſuit, quibus medici credidiſſent. Obſervatū et-  
iam eſt à noſtris maioribus quosdā qui lethargo,  
aut apoplexia, aut epilepſia, quæ tria morborum  
genera *ὄλιπα μὲν καὶ μέγιστα, καὶ χαλεπώτατα, καὶ τανα-  
τωδέστατα* ſunt, extincti videbantur, & iam fere-  
tro elati erant, ſpiritu reſtituto renixiſſe: ideoq;  
ſcripſores admonent, maximè cauendum eſt pro-*

videndum esse, ne dictis morbis extinctos, prope-  
 re despillonibus ad sepulturam effereudos demus.  
 Epilepsia quidē, de hac enim mihi sermo institu-  
 tus est, variū ac portentosum (Serenus labem hor-  
 rendā appellauit) morbi genus est, terribilis utiq;  
 in accessionib. & peracutus, & perniciosus: quā-  
 doquidem nonnunquam accessio vna hominem,  
 vna etiā die rapuit. Ac si diligenti cura vim mor-  
 bi sustinet laborans, agrē tamen vitā ducit inter  
 fœditates, ignominias, & dolores. Periculose autē  
 sunt etiā per circuitus exacerbationes. Nam vt  
 Lucretius qui rerū naturā canit, elegāter scripsit,

lib. 3.

----- Subita vi morbi saepe coactus  
 Ante oculos aliquis nostros, vt fulminis ictu  
 Concidit, & spumas agit, ingemit, & tremit artus:  
 Desipit, extentat neruos, torquetur, anhelat:  
 Inconstanter & in iactando membra fatigat.  
 Nimirum, quia vis morbi distracta per artus  
 Turbat agens animam, spumantes æquore falso  
 Ventorum vt validis feruescunt viribus vndæ.  
 Exprimitur porrò gemitus, quia membra dolore  
 Afficiuntur: & omnino quodd semina vocis  
 Eliciuntur, & ore foras glomerata feruntur,  
 Qua quasi consuerunt, & sunt munita viai.

Atra Ge-  
 nena di-  
 xit Virgi-  
 lius 2. Ge-  
 org. & 2.  
 AEncid.

Desipientia fit, quia vis animi, atque animai  
 Conturbatur, & (vt docui) diuisa seorsum  
 Dissectatur eodem illo distracta veneno.  
 Inde, vbi iam morbi reflexit causa, reditque  
 In latebras ater corrupti corporis humor:

Tum

Tum quasi vacillans primùm confurgit, & omnem  
Paulatim redit in sensus, animamque recepat.

*Ægri sanè per accessiones neq; videre, aut au-  
dire, aut intelligere prorsus, aut meminisse alicui-  
us rei possunt, sed omni destituti sensu iacent,*  
*malo maximè opportunus videtur, ratione uteri  
in quo sæpius contingit humorem venenatæ qua-  
litate vim & vaporem ad cerebrum transmit-  
tentè contineri. Hucq; pertinet nobile illud apud  
Græcos volumen Heraclidis, septem diebus fami-  
næ exanimis ad vitam reuocata. Cum itaq; tam  
gravis & periculosus sit comitialis morbus, iudi-  
caui me egrorum salutis, & medicorum utilitati,  
sine cuiusquam iniuria, consulturum, si doctissi-  
mi nostræ ætatis medicorum Fernelij, qui solus  
de veneno epilepsiam efficiente scripsit, consilium  
epileptico cuidam præscriptum, typographo id à  
me petenti in publicum emittendum committe-  
rem. Tu amicissime læctor hoc factum meum be-  
ne interpreteris, propediemq; à me catalogū me-  
dicamentorum simplicium aduersus comitalem  
morbum expectes. Vale, meisq; studijs tuis com-  
modis utilitatig; dicatis faue. Craconiæ  
ex adibus meis, 15 die Nouem-  
bris anni 1579.*

Libr. de  
abditis  
mor. caus.  
sis 2. cap.  
15. & pa-  
thologia  
lib. 5. c. 20

## IOANNIS FERNELII

*consilium epileptico praescriptum.*



VVM apud eruditos experientesque viros scholastica & minutissima quæque persequi indignum videatur, & superuacaneum, opere precium & vestra eruditione dignum de affectione proposita duxeram, etiam si apprimè grauis & curatu sit difficilis, paucis multa complecti, & summas rerum sententias appositè apud vos proferre. At quoniam ita nunc vestra exigit sedulitas, vt nō contracta, sed effusiore quadam orationis serie rem totam particulatim explicem: obseruata quadam styli moderatione, neque periphrafi, neque metaphoris, neque iocis, sed serijs nudisque verbis orationem aliquantum dilatare contendam: non tam vobis, quàm laboranti, & ijs qui ingentem admirantur scriptorum vocem satisfacturus. Sequar autem non eum quem de exponendis naturalibus, non naturalibus, & contra naturam rebus artificiosè ordinem proponitis, sed quem tandem resolutione ad curationem tenendum existimaui. Primumque quæ propositi morbi aut symptomatis notio sit, & ratio, & quæ vis, attingam.

Morbus, item symptoma quod in consultationem & deliberationem venit, epilepsia est, quæ annos decem insedit, ac inueterauit. Hæc licet à leuioribus orta initijs olim in vertiginis potius quàm in epi-



in epilepsia genus diuertisse videbatur, progressu  
tamen dierum veram & exquisitam epilepsia spe-  
ciem est consequuta. Tanta affinitate hi affectus  
connexi sunt, vt rectè Auicenna vertiginem dimi-  
nutam epilepsiam, ex eaque in hanc transitum fie-  
ri notauerit. Cùm etiam in consummata epilepsia  
obseruemus non semper grauiores illos & imma-  
niores, sed & interdum leuios quosdam & irri-  
tos insultus fieri, qui vt in vertigine nulla con-  
uulsione, sed sola sensuum & visus hallucinatione  
cerebrum impetunt. Cùm nimirum proxima illa,  
continensque mali causa leuius excandescit, & exi-  
guum de se vaporem effert. Hanc autem quæ illu-  
strem & magnificum virum diris modis exercet,  
& exquisitam & consummatam epilepsiam esse re-  
cipio, quod in eius paroxysmo absoluta fiat totius  
corporis conuulsio, quodque spuma stridore quo-  
dam elidatur ab ore, & sensus omnis atque cogni-  
tio cum memoria pereat. Imò verò si neque vllum  
eius signum describeretur à vobis, vestra tamen au-  
toritate innixus, hanc pro epilepsia habendam esse  
non dubitarem.

Sed quum tamen tria à Galeno tradantur, vsuque  
notentur epilepsia genera: Vnum ab extremis sul-  
citatam corporis partibus, vt à manuum pedum-  
que digitis: Alterum ab interioribus visceribus:  
Tertium à cerebro, quod primarium est, & ipsi pro-  
prium: Optarem sanè à vobis indicia tradita pa-  
thognomonica, tum epiphænomena, quibus certò &  
luculenter intelligerem in quod genus epilepsiam  
hanc referendam putetis. Id enim tum ad medendi

rationem, tum ad remedium inuentionem in pri-  
 mis necessarium videbatur, quum non vna omni-  
 um, sed sua sit cuiusque generis curatio. Alijs mul-  
 to ante paroxysmum tempore caput artusque om-  
 nines ingrauescunt, alijs nauſea, aut etiam vomitio  
 moleſta est, alijs stupore quodam refrigerſcunt ar-  
 tus: Alij instantem paroxysmum presentunt, pos-  
 ſuntque impendentis repentini casus pericula vi-  
 tare: alij derepentè prehenduntur & concidunt,  
 nulla præſensione futuri mali. Sunt qui paroxy-  
 ſmo ſoluto protinus ſurgunt nullo affecti ſympto-  
 mate: nonnullis verò ſymptomata quædam ab ac-  
 ceſſione grauiam manent. Horum igitur animadu-  
 ſione proprium epileptiæ genus deſignari inter-  
 noſci que debuerat. Cæterum in hac reticentia cõ-  
 iijciendum nobis & diſquirendum in quod hæc ge-  
 nus maximè pertineat. Comitiali morbo interci-  
 piuntur mentis ſenſuumque functiones, hinc ce-  
 rebi conſetur affectio. At quoniam ea interceptio  
 interdum fit conſenſu aliarum partium, vt duobus  
 prioribus generibus: interdum verò per ſe affecto  
 cerebro, neque ex his quæ deſcribuntur vlla prio-  
 rum generum audio præognomica ſigna, in po-  
 ſtremum diuertendum puto, & recipiendum ce-  
 rebrum *iſtoradeiæ* atque etiam *capitadeiæ* concuti.  
 Nec enim venenatus vapor inſtar aure frigidiuscu-  
 læ, aut è pedibus, aut è manibus ſenſim partiũ con-  
 tinuatione in caput aut cerebrum obrepere perci-  
 pitur, nec ventriculi cordiſve ſubuerſio, aut præ-  
 cordiorum moleſta coarctio paroxysmum ante-  
 uertit, aut ob oculos nonnulla quali ſpectra obuer-  
 ſari

fari videntur. Sed cum illustrissimus derepentè quasi attonitus, aut fulgure percussus corruat, necesse est cerebrū, & ipsam mentis ac sensuum arcem obsideri, in eaq; proximam & continentem huius epilepsie causam contineri, ac proinde in tertium hanc genus esse coniiciendam. Hanc denique epilepsiam esse primariam, & ut appellant essentialem.

Percepta iam affecta sede, & quòd cerebrū non aliarum partium consensu, sed per se & primario laborat, ditquirendum quæ in ea sit causa. Galenus tertio de locis affectis, & libro de symptomatum causis, epilepsiam, quæ præsertim primaria sit, cõtendit ex obstructione quadam omnium ventriculorum cerebri proficisci, ob quam animalis spiritus liberè nequit in sensuum motusque nervos influere, & omnis legitima tum mouendum sentiendū, atque ratiocinandi functio perit. Impedita verò natura arctius oppressa nondum tamen vehementer concutit, dum obstructione soluta infarctum humorem expellat. Hanc causam, quam vos rectè formalem nuncupatis, magnæ licet rationum probabilitati innixam, & Galeni decreto passim comprobata, validis tum argumentis tum experimentis in pathologia & in dialogis de abditis rerum causis infregimus, aliam statuentes, nempe malignam & occultam qualitatem cerebro cunctisque facultatibus animalibus perinde atque venenum infensam, quæ ut è pede percipitur speciem quadam frigidioris & malignæ auræ per conti-

*Obstructione ventriculorum cerebri non esse causam epilepsie, sed qualitatem quandam malignam occultam in cerebro seneni instar infestam.*

nuatas partes sursum in cerebrum efferti: ita ex iplo quoque cerebro suscitari potest, idque protinus sua malignitate ferire nulla praesensione paroxysmi futuri. Hanc vero qualitatem malignam & aduersissimam cerebrum multo validius, excutere contendit, quam humorem simplicem solam oleobstruentem, neque tamen concussioni aut conversioni finis est, donec qualitas illa vaporis specie suscitata dissipetur, aut sponte sua euascescat. Causa haec non admodum ei dissimilis est quam vel ipse Galenus libro sexto de locis affectis de uteri strangulatu fatetur. Vt enim est sanguine menstruo, atque est semine corrupto vis quaedam venenata profertur, quae in praecordia, in fauces, atque in ipsum cerebrum prorepens paria strangulatus symptomata gignit: Ita sane & alia quaedam venenata & malignae qualitatis species epilepsiam facit. Proprie autem epilepsia symptoma est: qualitas vero maligna cerebro insidens ipsa morbus est, isque partis similis, & quae alibi demonstrauimus totius substantiae morbum appellandum esse. His ergo principijs firmiter innitendum, haec stabilienda sunt nobis fundamenta, si quae tam diri & inueterati morbi curatio speretur.

*Causa  
materia-  
lis cont-  
mens seu  
prouisa.*

Quaquam autem huiusce qualitatis ad excitandam epilepsiam summa atque etiam praecipua vis est, non parua tamen existit & eius materiae, est qua tanquam est fonte qualitas illa prodit, & sine qua vix illa subsistit. Eam quidem esse crassam lentamque pituitam cuidam melancholico humori permixtam, & in cerebro contineri, eique perti-  
nacijs

naciùs adhærescere, multis complector indicijs. Ac quidem vetus illa dextræ naris obturatio, ante annos quindecim nata, oculi quoq; dextri obtusior acies, dextræ auris grauior auditio, dextram ipsam cerebri partem, non parum offendi, luculenter demonstrant. In ea autem cerebri parte dextra, pituitæ lentæ magnum esse prouentum, ostendit insita cerebri temperatura humidior, quam deinde supra modum auxerunt ingluuies, crapula, cruditates, & ær impensè frigidus ac humidus. At verò melancholiam pituitæ permisceri, testantur ætas in eum humorem gignendum propensa, curæ, mœrores, & graues cogitationes quibus dominus implicatur. Quod etiam nobilissimus vir plerunq; citra occasionem metu atq; mœstitia iactetur, Hippocrati indicium est iam obsidentis melancholiam. Hic certè affectus illos tanta affinitate coniunxit, vt ex eo eodemq; melancholico humore nasci putet: qui si in cerebrum insideat, epilepsiam: si in mentem, melancholiam facit. Itaque pituitæ ac melancholiam non exigua est redundantia in parte dextra cerebri. Sed hæc si simplex sit, minimè epilepsiam infert, nisi & ea quam dixi externa qualitas accedat. Quocirca varia hæc cerebri excrementa diutius cohibita, & in hærentia, dierum numero, progressuq; temporis corruptione nacta sunt externam illam ac prorsus malignam qualitatem, in qua dixi mali essentiam haberi. Ad hæc multū mihi contulissè videtur tuberculum in dextro tempore instar oui columbini exortū, & ipsi comitiali morbo coartaneum. Memini ijs dissectis quos viuens

tes morbus comitialis aliquando immaniter corripuerat, me aliàs circa meninges, aliàs in cerebri substantia putridam quandam & glutinosam saniem quantitate fabæ aut nucis iuglandis inuenisse, quæ crudelis huius & immanis affectus fomes fuerit. Ita igitur de continenti mali causa, de quæ primaria affecta sede statuendum.

Quoniam verò continentem illam & proximam morbi causam, alia quædam antecedens appellata fouet, quæ & ipsa interior existit, & sine qua summoueri illa integrè non possit, de hac quoque dicendum. Ea est totius corporis cacochymia & impuritas ex praua viscerum constitutione profecta. Magna hæc quidem & in primis obseruanda, quòd affectu sedi ipsique cerebro primo mali fontem nouam assidue materiam suppeditet. Illustrissimo igitur viro iecoris, cordis, cerebri, & renum insita temperatura ex parentum semine, & primo ortu calida humidaque est, ac deinde similis reliquo corpori est impartita, quandoquidem totius corporis temperatura principum partium, vt auctor est Galenus, constitutionem ferè sequitur. Optima quidem illa, & ad probum sanguinem, & bene quadratum corpus comparandum apta: at verò postea in frigidiore humidiori que cælo frequens habitatio, paludum, lacuum, & stagnorum exspiratio fœtida, victus omnium quos audiui intemperantissimus, omnium obsoniorum & ferculorum varietate confertus, nullo instructus ordine, supra satietatem ferina quadam voracitate grauis, vt ei qui gulæ & abdomini omnino sit natus, viscera, venas habitumque

totum

totum cruditatibus implens: Somni, laboris, exercitiationis, inanitionis, & pathematum animi ratio profus neglecta, bonam illam & laudabilem temperaturam, atque insitam corporis constitutionem penitus euerterunt, & pro ea vitiosam substituerunt: nuncque ingluuie alijsque commemoratis causis obruto calore natiuo, vires & facultates, praesertim naturales, quae illius beneficio fouentur, impeditae ac etiam debilitatae, tantam alimentorum molem modificare atque domare minime potuerunt. Hinc non cruditates modo, sed & omnis generis excrementorum prouentus, toto sic corpore succreuit, vt pars nulla existat quae non proprio quodam superuacui humoris vitio prematur. Ventriculum multa esse pituita confertum indicio est nausea illa frequens, & tenebrae à cibo ob oculos offusae, huiusque ingentem copiam in intestina deuolui, aliam in eis etiam gigni, minime dubitari potest. Cerebrum multo grauius illius redundantia offundi testantur peculiare eius affectiones. Sed & iecur, & lienem obstrui, atque etiam turgere, illud quidem bilis flauae, hunc verò atrae copia, indicio sunt praeter caetera, mores olim quidem ob hepatis calorem, & bilis feruorem in iracundiam, nunc verò ob nimiam adustionem in melancholiam propensi. Sub hac vitiosa constitutione viscerum, quis reliqui corporis bonus habitus esse possit? Corpus totum supra naturam & aetatem ingrauescens, impuritatis ingentem molem & acruum confirmat. Haec igitur corporis impuritas ob viscerum imbecillitatem, & continuatam

viuendi rationem illegitimam, quotidie noua etiam atque etiam succrescens, nouum quoque pabulum suggerit continenti causæ quam in cerebro constituimus. Neque hæc antè conuenienter extirpari potest, quàm corpus ipsum omni sorde & illuue sit expurgatum.

*Prognosticum.*

Epilepsiam quæ aut annum ætatis vigesimum quintum excessit, aut postea hominem adoritur, commori, & in supremum vitæ diem manere auctor est Hippocrates: Cùm præsertim vthæc vehemens fuerit, & originis suæ nec certum habuerit initium, nec compertam sedem. Classici verò auctores toto hanc genere immedicabilem statuunt, quoddam causa non satis perspecta illam videant neque medicamentis, neque vacuationibus ullis, neque cæli mutationi, neque viuendi legibus cedere, neque temporis diurnitate vinci. Quibus de causis plerique omnes diuinam hanc appellant, & pro eius curatione implorât diuorum operam. Huius sanè conditio & essentia supra elementorum naturam est, omnemque sensum, & humanæ mentis aciem effugit: non ratione aut demonstratione, sed obseruatione sola & vsu comprehensa. Quanquam autem difficilis est epilepsie curatio, præsertimque in malè habito corpore, suscipienda tamen ea est, atque ijs remedijs tentanda quæ multis sæpe profuerunt. Ea licet quadam substantiæ proprietate id præstent, arte tamè adhibenda sunt exinanito & puriori iam facto corpori.

*Medendæ*



*Medendi Methodus.*

Curationis initium ab eo quidem ducendum est, quod resolutione atque inuestigatione postremo fuit inuentum. Id autem est totius corporis cacochymia & imputitas, qua presente, nec tutò quidem medicamenta, quæ substantiæ proprietate prodesse solent, adhibeantur. Sæpe enim vel malum ipsum ingeminatur, vel etiam noua quædam symptomata accersunt. Itaque corporis hæc immodica moles in primis absumenda, & in pristinum naturalemq; statum quoad licet reuocanda. Deinde caput & cerebrum modis omnibus exhauriendum, ac demum ipsa morbi radix funditus euellenda, corroboratis simul hisce partibus quæ vehementius afflictæ fuerant. Quæ omnia si non æquè distinctè vt pronuntiantur, tutò nihilominus & pro eius quod curationi profuerit iudicio, opportunè decernentur.

*Corporis totius curatio.*

Nec superuacuum humorum exuperantiam, nec corporis tantam molem semel & vniuersè demoliri licet. Non enim tam repentinam mutationem illa natura ferat, sed sensim ac pedetentim, vt quæ longo tempore contracta sunt, lentè quoque citra virium offensionem tollantur. Neque id profectò solis medicamentis præstandum, vt quorum immodico vsu corpus nimium labefactetur, sed tum his, tum victu tenui & accommodato. Hic enim cruditates & luxuriantem corporis molem sensim absumet: illa verò superuacuos ac etiã iam

corruptos humores sensim quoque excludent.  
 Quoniam verò methodicam illam curandi formā  
 satis videor demonstratione prosequutus, vt tan-  
 dem frugifera sit hæc nostra contemplatio, con-  
 ducibile sit omnem deinceps curationis seriem  
 subnectere. Nec enim verebor apud eruditissimos  
 viros ipsas medicamentorum formas depromere,  
 quod sæpe curandi summa vis posita sit in reme-  
 diorum quantitate, & vtendi ratione. Autumnō  
 igitur aut alio quouis clementiore cœli statu cura-  
 tione suscepta, primū aluus si adstrictior erit, cly-  
 stere proritetur, qui etiam crassam intestinorum  
 pituitam eluar, atque detrahat. Atque is in ℞. j.  
 decocti accommodati habeat hieræ simp. diaphœ-  
 nici añ. ℥. β. mellis ros. & anthosati añ. ℥. j. olei  
 rutæ & anethi añ. ℥. j. β. Postridie portio humo-  
 rum superuacuum qui in ventriculo & in primis  
 ductibus sine adhæsū fluctuant, expurgetur hoc  
 medicamento: ℞. polypodij quercini, sem. car-  
 thami, carui, sceniculi, foliorum senæ añ. ℥. iij. epi-  
 thymi ℥. j. fiat decoctio in vnam dosim. in colatura  
 infunde rhabarbari electi ℥. j. β. agarici trochi-  
 scati ℥. j. cinamomi ℥. β. expressioni adde syr. ca-  
 pillorum Veni. ℥. vj. fiat potio. Detur manè horis  
 saltem quatuor ante cibum. Tertio die constitua-  
 tur viuendi ratio tenuis, & citra manifestum calo-  
 rem attenuans, eaque ex cibis euehymis, vt ex pul-  
 lis gallinaceis & columbinis, ex perdicibus, auicu-  
 lis montanis, phasianis, & similibus: ijsque assis  
 potius quàm elixis. A iulculis & sorbitionibus  
 multis abstinendum, quoniam præcordia nimis  
 implent

implent atque distendunt. A fructibus quoque, & leguminibus, & ab omnibus flatulentis aut vaporosis. His igitur & purioribus cibis qui facillè designari poterunt, parcè nec vnquam ad satietatem vtatur, & solum bis die cibum sumat, idque ex iustis interuallis quæ concoctioni sint satis. Percipiet autem dominus laborans se his conuenienter vti, si nec ventriculi distentionè, nec rugitum, nec ructum vllum in concoctione sentiat. Vt etiã potu cruditatum portio facilius absorbeatur, in easque natiuus calor validius incumbat, parcus sit potus, isque in pastu solo: potu enim quàm cibo impleri facilius est. Immoderatus corpus grauat, omnemque concoctionem interpellat. Hoc etiã tempore humores ad pleniorè purgationem apparandi erunt, vel apozemate ex rad. petroselini, fœniculi, & polypodij cum hysopo, betonica, & stœchade, in quo nonnihil oxymelitis dissolutum sit. Vel si mauult guaiaci decocto in quo commemoratæ radicis, & herbæ sub finem aliquantum in coctæ fuerint. Alterutro aut bis die, aut certè semel vtèdum horis duabus tribusve ante cibum. Sed quàm minimè ciendi sunt sudores. Si interim alius subsistat, sollicitetur commemorato clystere. Cùm & victus ratione, & apozemate diebus quinque aut sex apparati iam satis, ac fortassis concitati erunt humores, altero medicamento proliciendi erunt, quod aut priori simile sit, aut aliquanto efficacius, & curando affectui accommodatius. Quale hoc est: ℞. rad. apij, polipodij quercini, sem. carthami, passularum mundatarum, fol. senæ mundato-

rum añ. ʒ. iij. epithymi ʒ. j. fiat decoctio pro vna  
dosi. In colatura dissolue pulueris hieræ simpl. dia-  
phœnici añ. ʒ. ij. fiat potio. Detur manè horis sal-  
tem quatuor ante cibum. Ab hac purgatione ad a-  
pozema redeundum, vi&usque similis continuandus,  
ac deinde post dies circiter quinq; tertio me-  
dicamento, si res postulet purgandum, quod horū  
per simile sit. Vbi autem circiter diebus quindecim  
horum remediorum ope ventriculus, iecur,  
lien, pancreas, & partes omnes quæ in prima cor-  
poris regione consistūt, puriores existent, tum de-  
inde secunda corporis regio quæ maiorum est ve-  
narū tempestiuè vacuabitur sectione venæ. Hanc  
enim non modò morbi species atque magnitudo,  
sed & corporis habitus & antè acta vita postulant,  
vires verò & ætas permittunt. Secunda porro erit  
vena cubiti media, quæ & è cerebro, & è iecore, ac  
inferis partibus perinde vacuat: & ea quidem in  
brachio dextro, quòd oculus dexter sit hebetior,  
eiusque lateris auris, atque etiam naris obturetur,  
& tuberculum in dextro tempore promineat, par-  
tesque omnes dextræ ad motum, & ad sua munera  
sint ob humorum copiam & grauitatem ignaui-  
ores. Detrahetur autem sanguis non minus quàm  
libra vna quæ vnciarum est duodecim.

*Cerebri particularis curatio.*

A venæ sectione cùm iam corpus extenuari &  
marescere cœperit, ne quid ad perfectā curatio-  
nē desit, tertia corporis regio, quæ summam omnes  
partes ipsumque caput complectitur, exinanien-  
da erit. In idq; vtiliter guaiaci decocto, vel simplici,  
vel,

vel, vt dixi, composito sudores bis die aut semel ci-  
entur. Et quo tempore dimanabunt, conso iam ca-  
pite adhibeantur hæc calorifica. ℞. feminis  
anisi, sceniculi, cumini, baccarum lauri contusa-  
rum añ. ℥. ij. milij ℥. j. salis vulgaris libram  
semis. torrefiant omnia in sartagine, reponantur  
in sacculis qui calidi applicentur capiti tempore su-  
doris. Sudore deterfo pituita è dextra præsertim  
nare proliciatur hoc errhino: ℞. saluix, maioranę  
añ. ℥. ij. tritis affundantur vini albi ℥. iij. fiat ex-  
pressio in qua maceretur radice cyclamini minu-  
tim concise ℥. j. rursus exprimatur, reponatur pro  
errhino, hauriat in narem dextram, vel penicil-  
lus in eo intrinectus immittatur in narem dextram,  
contineaturque dum pituita profluat. In autẽ verò  
dextram quotidie manè huius liquoris duæ trêlve  
guttulæ instillentur. ℞. aquæ vitæ, succi cepæ añ.  
℥. ij. in quibus infundatur pulpæ colocynthidos  
℥. j. in expressione castorei ℥. ij. repone, & vtitor  
vt dixi, obtureturque auris bombace. Pomeridia-  
nis horis sub cœnâ cucurbitulæ scapulis, ceruici, &  
occipitio affigendæ, modo leues, modo cū scarifi-  
catu, idque maximè parte dextra quæ grauius affi-  
citur. Hæc igitur topica remedia cum guaiaco, &  
victu tenui eousque continuanda erunt, dum odo-  
ratus nari, & audit<sup>o</sup> auri dextrę sit restitutus. Quod  
si non facilè sit assequi, nonnunquam manè caput  
ieiuno lauandum, fouendumque erit lixiuio cali-  
do in quo cephalicæ herbæ incoxerint, quod &  
eius noxios humores vetustate concretos colli-  
quabit, fluxosque reddet, vt deinde topicis illis

promptius obtemperent, simul etiã occulta quacunque cerebri vitia deteger.

*Peculiarìa huius epilepsie remedia.*

Superiorum remediorum continuatione, cum & corporis totius, & cerebri vitiosa constitutio, in pristinam ac ferè naturalem redijse videbitur, intermisso guaiaci & topicorum remediorum vsu, sed tamen victu siccante, tenui, & attenuante semper obseruato, epilepsie remedia propria opportunè decernuntur, hac ferè methodo. Primum quòd vniuersalis purgatio aliquandiu fuerit intermissa, hoc modo repetenda erit: ℞. fol. saluie, betonicæ, stæchad. anthos, añ. m̄. β. epithymi ʒ. j. fol. senæ mundat. ʒ. iij. fiat decoctio pro vna dosi, addendo sub finem agarici ʒ. j. β. in expresso adde pul. hieræ diacolocynthidos ʒ. ij. fiat potio sumenda die electa, horis quatuor ante cibum. Post tridie bolus hic voretur: ℞. conferva betonicæ, anthos añ. ʒ. β. mithridati veteris ʒ. j. misce. capiat manè horis tribus vel quatuor ante cibum. Sequenti die qui tertius erit, puluis hic sumatur, vel solus, vel hydromelite dilutus: ℞. rad. aristolochie rotundæ, epithymi añ. ʒ. β. rad. asari ʒ. ij. fiat puluis tenuis, sumat manè horis duabus ab accepto iusculo, aut ab alio quouis leui cibo. Si fortè vomitionem concitet, non antè cibum alius offeratur, quàm ea defierit: ac tum pulli aut capi iusculum apprimè conueniet, ad hoc deinde consuetus cibus. Si ob amarorem huius pulueris difficilior sit vsus, poterit in pillulas redigi, quæ parem vim & facultatem obtinent. Est autem vis huic medicamento

mento summa ad epilepsiam. At nihilominus ne quid suspectum superfit, die quarto, cauterio aperiatum tumor in tempore dextro prominens, illasque venis, arterijs, & musculis lenis omnis eius illuies eluatur atque detergatur, sinaturque aliquandiu manare dum in naturalem statum redeat. Occipitium verò, aut synoiput ad coronalem commissuram cauterio inurere, nihil mea sententia contulerit, neque id citra grauioris periculi discrimen experiri licet. Thermarum quacunque sint facultate prædite, vis ad affectum hunc nulla deprehendetur. Neque fieri potest ut corpus à prauis humoribus aptius vindicetur, quam exposita ratione curandi. His ita paucis videor ad quaestiones respondisse in quibus plurimum inerat difficultatis.

Cæterum ut totam curationem compleam, & huic quasi colophonem addam, dum vlcus in dextro tempore inustum curabitur, vsurpanda erunt remedia, quæ secreta proprietate epilepsiam inhibent, atque etiam depellunt. Cuiusmodi est puluis, aut electuarium ex scobe cornu cerui, & eboris, cranio humano, radice & femine pœoniæ maris, visco quercino, corallio, & gingibere exceptis saccharo soluto aqua betonicæ. Semen pœoniæ maris collo subnexam vim habere experimur, & vngulam eius animalis quod vestrates *ellend* appellant, vel appensam, vel annulo inclusam vidimus epilepticam accessionem cohibere. Æstiuo solstitio, & maximè diui Ioannis Baptistæ profesto, si artemisiæ herbæ radix euellatur, sub ea verus carbō, sed tamen bene odoratus, inueniri solet, qui su-

270 I. FERN. CONS. PRO EPILEPT.  
done inclusus, appensusque collo epilepsiam ar-  
cet. Et hæc quidem propriè symptomati, cætera  
verò quæ prædixi eius causæ succurrunt.

*Præcautio.*

Hac autem curatione prorsus & ad vnguem cõ-  
pleta, ne postea in consimilem affectum relapsus  
contingat, obseruanda erit aut exquisitè, aut quàm  
proximè licebit viuendi ratio iam exposita. Cir-  
cũ solstitia & æquinoctia Luna decrescente, clyste-  
re præmissis corpus purgetur medicamento quod  
præscripti ex hiera diacolocynthidos. Post die  
bolus detur ex mithridatio. Tertio die vomitio  
proritetur vel puluere, vel pillulis præscriptis. Re-  
liquo deinceps tempore ex interuallis ea vsurpen-  
tur, quæ dixi proprietate valere. Si certus & status  
est epilepticæ accessionis recursus, iisdem medijs


quinque sexve diebus vtiliter anteuertetur,


nec eius præcauendi certior lex vlla  
statui potest.

F I N I S.

\* Vesalius fol. 678. editionis Basiliensis. Humo-  
rem tenuem aqueum in sinibus muliebrum te-  
stium natura album existentem, aliquando cro-  
ceum luteumque & crassiolem, grauissimè olen-  
tem venenatumque quid præ se ferentem  
deprehendi: eumque vteri strangu-  
latum causate pu-  
to.







M

16000

